This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lh
9
576

Sh. 9. 576

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

# IUDICIA

25419

QUAE

## DE SATIRAE LATINAE ORIGINE ET DE LUCILIO

IN SATIRIS IV ET X LIBRI I

## Q. HORATIUS FL. PROTULIT

VERANE SUNT AN FALSA?

---

COMMENTATIONEM

SCRIPSIT

PETRUS RASI

DOCTOR PHILOLOGIAE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1886

Sh 9.576

Constantine Fund

FRANCISCO CORRADINI

EUGENIO FERRAI

IOSEPHO DE-LEVA

OPTIMIS ET CLARISSIMIS PRAECEPTORIBUS

HOC OPUSCULUM

QUALECUMQUE EST

REVERENTIS GRATIQUE ANIMI ERGO

DICATUM VULT

AUCTOR

Subsidia, quibus ad hanc dissertationem exarandam usi sumus, quaeque τὴν βιβλιογραφίαν, ut dicitur, sive communiter de satira latina sive de luciliana et horatiana proprie exhibent, haec fere sunt: (Opuscula ordine temporis, quo fuerunt in lucem missa, servato transcribuntur):

*a)* De satira latina:

CASAUBONUS. De satyrica Graecorum poësi et Roman. satira. Libri duo. Parisiis 1605. Ed. alt. Hallæ 1774.

VULPIUS. Liber de satyrae latinae natura et ratione eiusque scriptoribus. Patavii 1744.

CONZ. Ueber die Satyre der Römer. V. Museum für griech. und röm. Literatur p. 31-48. A. 1795.

KÖNIG. De satira romana eiusque auctoribus praecipuis. Oldenb. 1796.

RUPERTI. De satira romana. In praefat. Sat. Juven. Lipsiae 1803.

WACHSMUTH. Noch ein Wort über die röm. Sat. V. Athen. 1817.

CHERBULIEZ. Essai sur la satire latine. Genève 1829.

PALDAMUS. Ueber Ursprung und Begriff der Satire. Greifswald 1834.

SCHOBER. De satirae initiis. Neisse 1835.

HERMANN. Disputatio de satirae romanae auctore ex sententia Horatii Serm. I, 10, 66. Marburg. 1841.

ROTH. De Satirae natura commentatio. Norimbergae 1843.

Idem. De Sat. Rom. indole eiusdemque de ortu et occasu. Heilbronnae 1844.

LABITTE. La Satire et la comédie à Rome. V. Revue des deux Mondes p. 548-564. A. 1844.

PETERMANN. De Satirae romanae auctore eiusque inventore. Hirschberg 1846.

DÜNTZER. Römische Satiriker. Braunschweig 1846.

ROTH. Zur Theorie und innern Geschichte der röm. Sat. Stuttgart. 1848.

SCHEIBE. De Sat. rom. origine et progressu. Zittaviae 1849.

BERNING. De Satirarum scriptoribus rom. Becklinghausen 1850.

HAASE. De Sat. Rom. natura. V. Prutz. Deutsch. Mus. p. 858-867. A. 1851.

PETERMANN. Ueber Ursprung und Begriff der röm. Sat. Glogau 1856.

JAVŮREK. De Sat. Rom. eiusque auctoribus praecipuis. Lentschau 1856.

JURKOVIC. C. Lucilius, Q. Hor. Flaccus und die satirische Poesie bei den Römern. Essek. 1857.

JUNG. De Sat. Rom. Neisse 1862.

VOGHERA. La Satira a Roma. Studî. Milano 1864.

LASSEL. Die röm. Satire und ihre Hauptvertreter. Kronstadt 1865.

HÖLZER. De Sat. rom. Stendal 1865.

FISCH. De Saturae Romanor. nat. Rostochii 1867.

METTE. De Sat. rom. et satyrica Graecor. poësi. Brilon 1868.

SCHNITZLER. De Sat. rom. natura et forma. Rostochii 1870.

Καστέρχης. Περὶ φύσεως τῆς ῥωμαϊκῆς σατύρας. κτλ. V. Ἀθήναιον. IV. p. 243-290. A. 1875.

LINGUITI. De Sat. rom. ratione et natura. Salerno 1875.

VALLAURI De Sat. rom. Acroasis. Aug. Taur. 1876.

Hactenus opuscula, in quibus de satira romana pertractatur. Multa etiam exstant, quae de Lucilio eiusque satirarum natura et ratione agunt. Inprimis nominandae sunt praecipuae editiones, quibus disiecta et eheu! nimis pauca et lacera fragmenta tanti latini satirarum scriptoris collecta fuerunt. Et aetatis ordine [1]) et honoris causa (temporum ratione habita) statim nominanda est Dousae editio, cuius haec inscriptio:

*b*) C. Lucilii Satyrarum quae supersunt reliquiae. Franc. Dousa collegit, disposuit et notas addidit. Lugd. Bat. 1597. Haec editio saepius iterata est, ut: Ed. II Lugduno-Batavâ auctior et emendatior. Edd. Volpi fratres. Patavii. Cominus 1735. et editio, quam Hauercampius Censorini libro de die natali addidit. Lugd. Bat. 1743.

Deinde in recentioribus hae laudandae sunt:

C. Lucilius. Satires; fragments revus, augmentés, traduits et annotés pour la première fois en français par E. F. Corpet. Paris 1845.

C. Lucilii Saturarum reliquiae. Edid. aux. emend. Fr. Dor. Gerlach. Turici 1846.

— Emendavit et adnotavit Lucianus Müller. Leipzig 1872.

— Emendavit Car. Lachmannus. Berolini 1876.

De Lucilio et de eius satiris multa quidem in lucem prodierunt in germanicis ephemeridibus, quae rem philologicam pertractant, et praecipue in «Rheinisches Museum, Philologus, Jahrbücher für classische Philologie, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft, Hermes cett.», quarum locos passim et occasione data, in progressu et explicatione nostrae disputationis citabimus.

De Lucilio separatis opusculis disseruerunt:

---

1) Sed primi, qui fragmenta Lucilii collegerunt, quamquam non separatim, sed cum aliorum poëtarum fragmentis coniunctim, sunt censendi Rob. Stephanus et Henricus filius, qui ediderunt: Fragmenta Poëtt. vett. latt. Paris. 1564. (p. 151-214). V. Fabric. Bibl. lat. 1 p. 667.

MANSO. Ueber Lucilius. Vermischte Abhandlungen und Aufsätze. Breslau 1821.

PATIN. Cours sur Lucile. Paris 1836.

VARGES. C. Lucilii satirarum quae ex libro tertio supersunt. Stettin. 1836.

SCHMIDT. Lucilii satirarum quæ de libro nono supersunt disposita et illustrata. Berlin 1840.

PETERMANN. De C. Lucilii vita et carminibus. Vratisl. 1842.

VAN HEUSDE. Studia critica in C. Lucilium. Traiecti ad Rhen. 1842.

Idem. Epistola ad C. F. Hermann de C. Lucilio. Traiecti ad Rh. 1844.

SCHÖNBECK. Quaestiones Lucilianae. Halle 1842.

GERLACH. C. Lucilius und die röm. Sat. Basel. 1844.

ELSPERGER. Commentatio de satira Lucilii. Ansbach 1851.

DUYKERS. Etude sur Lucile. V. Revue de l'instruction publique en Belgique 1861.

FÜRTH. Quaestiones Lucilianae. Bonnae 1865.

BOUTERWEK. Quaestiones Lucilianæ. Elberfeld 1867.

VANNUCCI. Lucilio e la satira. V. studi storici e morali sulla letteratura antica 1871.

BOUTERWEK. De C. Lucilio satirico. Merseburg 1871.

ILTGEN. De Horatio Lucilii aemulo. Montabaur. 1872.

HERWIG. Horatius quatenus recte de Lucilio iudicaverit. Halis Sax. 1873.

DE GRISY. Lucilius et Béranger ou deux poètes populaires. Paris 1876.

MÜLLER. Leben und Werke des Gaius Lucilius. Leipzig 1876.

TRIEMEL. Ueber Lucilius und sein Verhältniss zu Horaz. Kreuznach 1878.

STOWASSER. Der Hexameter des Lucil (V. Jahresbericht des k. k. Staatsgymn. in IX. Bez. in Wien für das Schuljahr 1879-1880.

FRANZUTTI. De Lucilii satiris cett. Laude Pomp. 1879.

FISCHER. De vocibus Lucilianis. Halis 1881.

MARX. Studia Luciliana. Bonn. 1882.
KLEINSCHMIT. De Lucilii satirarum scriptoris genere dicendi. Marburg. 1883.

Veniamus nunc ad opuscula, ubi de Horatio et de satira horatiana agitur; quae quidem nobis ob oculos versari debet, si rectum iudicium de luciliana promere ideoque iudicia, quæ de Lucilio protulit Horatius, bene perpendere volumus. Ex his autem etiam multa, quae ad satirae romanae historiam in universum pertinent, vel aliqua ex parte ad nostram commentationem faciunt, colligere potuimus.

c) HEINSIUS. De Sat. horat. libri duo. Lugd. Bat. 1612.

HEUSINGER. De versibus horatianis quibus eques importunus Lucilii defensor facete reprehenditur, causâ parum manifestâ ab Horatio abiudicatis. Guelpherb. 1759.
WOLF. Zur Erklärung von Horaz' Serm. I, 4, 11. V. Litter. Analect. p. 185-204. Berlin 1816.
MANSO. Ueber Horazens Beurtheilung der ältern Dichter der Römer. Breslau 1817.
EICHSTADT. De exordio Horat. Sat. I, 10. V Seebodes krit. Bibl. A. 1823.
TEUFFEL. Charakteristik des Horaz. Leipz. 1842.
NIEBERDING. Disputatio de satirica poësi Q. Hor. Flacci collata cum satirica poësi D. Iun. Juvenalis. Becklingsh. 1843.
REICHEL. Horatius und die ältere röm. Poesie. Pressburg 1852.
HOCHEGGER. De sat. horat. orig. et nat. Wien 1854.
KOTT. Horaz und die ältere röm. Literatur. Neuhaus 1854.
CIPSER. Q. Hor. Flaccus als Dichter, Bürger und Mensch. Stanislawow 1854.
SCHIMDT. De Horatii Sat. I, 10, 1-8 Epist. gratulat. cett. Halberstadt 1856.
STALLBAUM. Brevis recognitio iudiciorum de Horat. S. I, 10 exordio. Lipsiae 1857.
NIPPERDEY. De locis quibusdam Horatii ex primo satirarum

commentatio prior et altera, 1857 (Exstat etiam in Opusculis p. 471-489 et 490-508. Berolini 1877).

BECK. Ueber das Wesen der horaz. sat. Giessen 1859.

GROTHOF. Horaz als Satiriker. Heiligenstadt 1863.

PLIFKE. De discrimine satirarum Horatii, Persii et Juven. Hechingen 1863.

LÖSSL. Entwickelung der röm. Dichtkunst bis auf Horaz. Augsburg 1867.

NEISSNER. Der Kampf des Horaz für eine bessere Geschmacksrichtung in der röm. Poesie. Dresden 1867.

KREMSER. Horaz als Dichter nach seinem eigenen Urtheile. Zengg 1869.

BOLIA. De Horat. et Juven. satirarum auctoribus. Friburgi 1871.

FRITZSCHE. Menipp und Horaz. Ein Beitrag zur Geschichte des Satire. Güstrow 1871.

ILTGEN. De Horatio cett. V. S.

KOLBENHEYER. De Horat. satirar. rat. et nat. Bielitz 1873.

HERWIG. Horatius quatenus cett. V. S.

COUAT. De Horatio veterum latinorum poëtarum iudice. Paris 1874.

RINCKE. De difficilioribus locis satirarum horat. Monasterii 1874.

BECK. Horaz als Kunstrichter und Philos. Berlin 1875.

BARKHOLT. Horatii de veteribus Romanorum poëtis sententiae. Warburg 1876.

PETSCHAR. De satira horat. Rudolfswerti 1878.

MÜLLER. Q. Hor. Flaccus. Eine litterar hist. Biogr. Leipz. 1880.

ZAWADZKI. Quatenus in satiris Horatius videatur imitatus esse Lucilium. Erl. 1881.

MAJCHROVICZ. De Horatio et Juven. satirarum auctoribus. Lemberg 1882.

---

Hoc fontium et subsidiorum indice praemisso, facere non possumus, quin nostrum animum gratum erga Henzenum, doctissimum et praeclarum virum, profiteamur, qui nos Romae in Institutum Archaeologicum perhumaniter recepit et libris huius locupletissimae germanicae bibliothecae ut domi etiam frui possemus, amplissima nobis concessit liberalitate.

Et nunc, ut statim, praeceptum horatianum sequentes, in medias res ingrediamur, argumenta duarum Horatii satirarum libri primi, scilicet quartae et decimae, exponemus, quo melius ab initio fines «quos ultra citraque nequit consistere rectum» nostrae disputationi constituamus.

Satira quarta non quidem contra Lucilium [1]) scripta est, sed in ea obliqua tantum de Lucilio fit mentio: quod tamen in causa fuit, cur inepti eius fautores magna ira in Horatium fuerint incensi, et poëta ipse fuerit coactus in satira decima se defendere ac iudicia, quae de Lucilio promserat, retractare: quod callidius facit, ut acute notat Muellerus in Lucilio suo. Satiram, quae in eodem libro proxime praecedit, concludit, ut ita dicamus, et explet haec satira quarta; in illa enim poëta eos reprehendit, qui cum in suis propriis vitiis conniveant, in alienis videndis acumine oculorum valent; in hac autem se defendit contra eos, qui «utpote culpari digni» Horatii liberrimam vitiorum castigationem oderant eamque quasi a malo et perverso poëtae animo proficiscentem vituperabant. Sententiarum ordo et successio haec fere est: Florentissima Atheniensium respublica maximam loquendi scribendique pepererat libertatem, ex qua ἀρχαία illa comoedia, in carpendis vitiis hominum insignis, orta est [2]): hanc liberrimam vitiorum reprehensionem imitatus est Lucilius, vir quidem multis in-

---

1) Sic nomen scribendum esse, praeter Dousam ad Luc. fragm., monuit etiam et doctissime indicavit Varges in quaestionibus Lucilianis (Rhein. Mus. für Philologie. 1835 Vol. III p. 15-69).

2) Cfr. Schütz. Horazens Satiren erkl. 1881.

genii dotibus praeditus, sed etiam, ut scriptor, nonnullis vitiis et mendis vituperandus. Nullo satirae huius loco alia Lucilii fit mentio, praeterquam v. 57, ubi Horatius eius et sua ipsius verba, prosae orationi propiora, cum plenioribus et sublimibus Ennii comparat. Multa contra dicit poëta, ut se ipsum et suam scribendi rationem defendat, et, quibus officiis satira fungi debeat, docet: non satis esse risum tantum auditoris excutere; se non multa scribere, neque ea, quae pauca scribat, in publicum edere; se non esse poëtam, cum satira et comoedia (inter quas etsi multa dissimilia sint, tamen quaedam intercedit affinitas [1]) minime ad poësis genera, quae sint «nominis huius honore» digna, pertineant, quippe quae accedant ad vulgarem sermonem;. se non malo animo induci, ut satiras scribat, sed maxima ex parte suum hoc studium alios notandi ab educatione, qua a patre optimo fuerit institutus, repetendum esse; se denique nihil intentati relinquere, quo melior in dies et amicis utilior evadat.

Ex hac brevi satirae quartae argumenti explanatione liquet, Horatium Lucilii poëtae virtutes et vitia obiter tantum et oblique attingere, cum potius proprie de se ipso et de suae satirae indole et genere loquatur. Lucilii enim mentio ansam praebuit poëtae ad naturam suae ipsius satirae describendam. Ceterum nullum quidem verbum de satirae latinae origine in hoc sermone occurrit, nisi huc fortasse versum sextum «hinc omnis pendet Lucilius cett.» adnumeres et ita interpretari velis, scilicet, *ab antiqua Atticorum comoedia* omnis pendet Lucilius. Quod quidem nullo pacto ferri potest. Si enim id sibi voluisset Horatius, tunc omnem nativum colorem Lucilii, quem alibi «satirae inventorem» appellavit [2]), carminibus ademisset, et satiram romanam, quam «intactum

---

1) De hac comoediae et satirae similitudine et differentia inferius nonnulla dicemus.

2) Cfr. S. I 10, 48 coll. cum v. 66 eiusdem satirae.

Graecis carmen» [1]) dixit, origine graecam declarasset. Nisi igitur Horatium a semetipso dissentientem et historiae satirae latinae repugnantem putare velimus, aliter est explicandum illud «*hinc*» scilicet «*a libertate*» tantum, qua veteres Atticorum comici, ne nomina quidem silentes, vitia hominum carpebant. Haec explicatio, quam plerosque Horatii interpretes fugisse miramur et solam esse genuinam submisse contendimus, unice poëtae menti respondet et haec verba cum verbis satirae decimae aliorumque locorum mirum in modum componit. Sed de his omnibus ἀκριβέστερον et distinctius paulo inferius dicemus.

Transeamus nunc ad satiram decimam. Haec satira suam originem a quarta repetit. In quarta enim Horatius, ut mox vidimus, Lucilio, cuius ingenium, festivitatem et divitem venam satiricam non infitiabatur, nonnulla tamen vitia obiecerat. Hoc Horatii de Lucilio iudicium fuit tamquam *casus belli* et permultis bilem movit. Etenim antiquarii (nam fuit et erit semper virorum quoddam doctorum irritabile genus saepeque stilo acrius pugnatur quam gladio), qui Lucilium non minus quam veteres latinorum poëtas in deliciis habebant novaeque scholae, quam Horatius et Vergilius in primis sequebantur, a Graecis pendenti et expolitiorem venustioremque scribendi rationem affectanti, adversabantur, antiquarii, inquam, in Horatium impudentem et quasi sacrilegum, qui tantum facinus, nempe, prope divinum Lucilium carpendi, perpetrare auderet, fuerunt invecti. Horatius igitur ad se defendendum hanc satiram scripsit. Poëta minime ex iudiciis de Lucilio prolatis recedit: ea potius, callidius exponendo, confirmat et corroborat; immo novum aliquod vitium in Lucilio notat, ut illam graecorum cum latinis verbis mistionem, qua poëta abusus sit [2]). Hinc loquitur Horatius contra stultissimos Lucilii fautores, qui eius vitia potius quam

1) S. I 10, 66.

2) Videbimus alio loco quatenus haec reprehensio sit iusta.

virtutes sectabantur et laudibus efferebant [1]). Quid sibi laude, quid vituperatione dignum in Lucilio videatur, apertissime profitetur: hinc pergit, se neque ob superbiam neque ob malum animum esse culpandum cum satiras scribere audeat; cetera enim poësis genera ab iis poëtis, qui ad illa nati sint, excolantur: satiram tantum, diu a morte Lucilii iacentem [2]), intactum quasi campum praebere eamque igitur se aggressum esse, cum aliquid in ea honoris se consecuturum confideret [3]). Fatetur tamen, se esse inventore minorem neque audere illi coronam capiti cum multa laude haerentem detrahere; se non

---

1) Etiam hanc satiram decimam non contra Lucilium, sed praecipue contra suos adversarios Horatium scripsisse, iam recte animadverterat Cruquius in Comm. p. 400, qui, praeter alias causas, quibus octo illi versus «Lucili quam sis mendosus e. q. s.» reiciendi sint, hanc quoque adfert; «argumentum satirae non in Lucilium sed in eius fautores dirigitur».

2) Illis satirarum scriptoribus, quos Horatius verbis «et quibusdam aliis» in universum indicat, quique Lucilium secuti sint, etiam M. Terentium Varronem (Reatinum) ascribendum esse, probabili coniectura adfirmari potest, cum iam constet, T. Varronem, praeter saturas Menippeas (quarum erant 150 libri), etiam 4 saturarum libros conscripsisse, ut liquet ex catalogo omnium Varronis operum, quem ex libro huius polyhistoris «de sua vita» extractum composuit S. Hieronymus. Hic catalogus anno 1847 detectus, eodem anno in lucem fuit missus a Ritschelio in opere: Die Schriftstellerei des M. T. Varro. Nempe in hoc opere pagg. 12 et 72 fit mentio de 4 saturarum libris, qui procul dubio stilo luciliano erant conscripti, quosque iure meritoque tecte significasse Horatium contenditur, omisso, reverentiae causa, auctoris nomine, quem vivum commemorare cum dedecore noluisset. (Tunc enim temporis, quo haec satira fuit composita — anno 719 — Varro adhuc vivebat, qui 638 natus annis gloriaque onustus 727 decesserat). Obiter animadvertimus, in errore sine dubio versari Porphyrionem, qui hisce «quibusdam aliis» etiam Ennium et Pacuvium adnumerat. Id esse nequit et ob causas, quae dicuntur, chronologicas et ob discrimen quod exstat inter ennianam et lucilianam satiram, cum diversam admodum ab Ennio viam ingressus sit Lucilius. Cfr. Müller Q. Hor. Flaccus. Eine litterar. histor. Biogr. Leipz. 1880 p. 64.—Orelli. Horat. ad h. v.).

3) Praeterea alio loco confitetur Horatius, audacem paupertatem ipsum impulisse «ut versus faceret». (Ep. II 2, 51).

captare auram popularem, sed in paucorum optimorumque iudicum sententiis acquiescere.

Haec satira decima, magis quam quarta, Horatii iudicia de Lucilio continet; in ea enim prolatas alibi sententias confirmat et latius explicat; in ea insuper originem satirae latinae tangit tribus locis, scilicet, v. 48 ubi huius generis *inventorem* Lucilium appellat, v. 66 ubi eum rursus *auctorem* [1]) dicit, eodem denique versu 66 ubi satiram *intacti Graecis carminis* nomine designat.

His praepositis et explanatis, iam nobis viam munivimus ad thesim destinatam enucleandam et absolvendam. Haec disputatio, ut eius inscriptio docet, in duas partes est dividenda. In prima agetur de origine satirae apud Romanos et demonstrabitur, recte sensisse Horatium, cum satiram romanam plantam, ut aiunt, indigenam minimeque exoticam fuisse dixerit; in altera erit sermo de iudiciis, quae poëta Venusinus promsit de Lucilio, quaeque videbuntur nimis fortasse exaggerata, tamen, ut plurimum, vera et iusta esse et cum iudiciis, quæ de Lucilio alii scriptores romani fecerunt, saepissime conspirare.

Horatius in satira quarta cum de poëtis graecis, qui in prisca Atticorum comoedia floruerunt, Eupolide, Cratino et Aristophane locutus fuerit, ita pergit: «hinc omnis pendet Lucilius» e. q. s. Illud «*hinc* omnis» non «*a prisca comoedia*» sed «*a libertate priscorum poëtarum comicorum*» in vitiis flagellandis, interpretandum esse nobis videtur; tunc hoc horatianum iudicium, quod nonnullis viris doctis merito quidem iniustum visum est [2]), admodum rectum nihilque in se

---

1) Lucilium enim, non Ennium, hic intellegendum esse, pro viribus demonstrabimus.

2) Cfr. Teuffel. Gesch. der röm. Liter. Leipz. 1882 § 143, notâ 6, qui illud «*hinc*» explicat: «von der alten Komödie» et hoc iudicium, quod Horatius protulerit, appellat «unrichtig und ungerecht».

Etiam L. Muellerus (Leben und Werke des C. Lucilius. Leipz. 1876 p.

vel falsi vel historiae latinarum litterarum repugnantis continens adparebit. Et re quidem vera hic de crassa pressaque Graecorum imitatione sermo nullo pacto esse potest. Horatius non id adfirmat, Lucilium poëtas graecos Eupolidem, Cratinum et Aristophanem esse imitatum, sed ipsorum tantum libertatem in suis satiris expressisse, quâ illi vitia hominum, nulla habita personarum ratione, flagellabant. Nominat enim utique hos poëtas, sed ita ut statim adiciat characterem, quo prisca Atticorum comoedia insignis erat: « Si quis erat dignus describi quod malus ac fur Quod moechus foret aut sicarius aut alioquin Famosus,multa cum libertate notabant »[1]). Damus quidem, Horatium dixisse, Lucilium poëtas priscae comoediae atticae fuisse imitatum et secutum; hos vero non ex toto et serviliter, sed una tantum ex parte, scilicet a liberrima vitiorum censura et castigatione. Hanc autem servilem imitationem appellari non posse, cum quis non totum genus, sed partem aliquam et hanc quidem non in eius verbis et rationibus, sed solum in generali habitu et colore imitetur, luce clarius est. Cum hac interpretatione mirifice etiam, ni fallimur, conspirat locus apud Diomedem, 482. Putsch., ubi hic grammaticus de satira apud Romanos loquitur eamque appellat « carmen archaeae comoediae charactere compositum ». Hic τὸ *character* nihil aliud est nisi illa *libertas*, quam, ut in prisca comoedia poëtae attici, ita Lucilius in suis satiris expressit, sed non Graecorum imitatio-

---

21) fatetur «dass Horaz viel zu viel gesagt hat», et haec scite subiungit: «Von einer directen Nachahmung kann aber schon *wegen des ganz verschiedenen Stoffes* gar keine Rede sein». Muellerus potius similitudinem quandam reperit in Lucilii satiris cum Archilochi iambis, cum saepe antiqui, nulla metri ratione habita, quodlibet carmen probrosum vel cui «acerbitas et mordacitas» inesset, *iambos* appellassent. Sed de his omnibus uberius alibi dicemus. Cfr. praeterea Campe, Iahrbb. für class. Philol. 1871 p. 463, 537; Bähr, Gesch. der lat. Liter.

1) Cfr. Cic. De Rep. IV apud August. Civ. Dei II. 9: «Quem illa (comoedia) non attigit, vel potius, quem non vexavit? Cui pepercit?» cett.

nem significare potest, adeo ut romana satira a Graecis suam originem repetat. Verba enim, quae praecedunt « satira dicitur carmen *apud Romanos non apud Graecos* » omnem, si qua superest, dubitationem auferunt. Et quomodo, quaeso, Horatius satiram lucilianam cum comoedia Graecorum conferre poterat, ita ut diceret, hanc illius quasi matrem et procreatricem fuisse? Nonnullae quidem, ut superius monuimus, similitudinis notae inter satiram et comoediam exstant, sed etiam tam clara et insignis differentia intercedit, ut duo genera diversa, non vero cognata, inde exsistant [1]). Lucilius igitur, qui inventor in satira decima duobus locis v. 48 « (inventore minor) » et v. 66 « (auctor intacti Graecis carminis) [2])» appellatur, quique et alibi, scilicet S. II, 1,63, dicitur primus ausus esse, in morem poëtae hominum vitia carpentis, componere carmina, prorsus non poterat, ut planum est, in sermone quarto dici *omnis* in satira, *carmine Graecis intacto*, a veterum atticorum poëtarum comoedia *pendere*, nisi fateamur, Horatium in vehementissimam contradictionem incidisse. Vocibus autem, quae sunt « *hinc omnis* », eam latam significationem, quae primo obtutu videtur, non esse tribuendam, liquet etiam, aut nos fallimur, ex versibus S. I, 10,9-17, ubi Lucilius oblique notatur, quod non semper eas scribendi rationes sit secutus, quibus priscae comoediae poëtae «*stant*»

---

1) Haec omnia convenientem sibi locum, quo tractentur, inferius invenient, ubi de mirifica confusione, a quibusdam grammaticis præcipue facta, tum satirae et comoediae, tum poëtae comici et satirici nominum, loquemur.

2) Distinctio enim inter auctorem et inventorem (cfr. praeter alios, Petermann., de satirae rom. auct. eiusque invent. Hirschb. 1846) ab illis excogitata, qui v. 66 de Ennio non de Lucilio Horatium loqui contendunt, nimis est artificiose exquisita, hoc potissimum loco, ubi voci, quae est «*auctor*» verba adduntur «*intacti Græcis carminis*». Nomina *auctor* et *inventor* in hac satira decima ut synonyma accipienda sunt; auctor enim carminis intacti idem est atque inventor. Hanc quoque quaestionem fusius infra tractabimus.

quibusque « *sunt imitandi* ». Praeterea, nonne et Persius ipse, se antiquae comoediae principes secuturum esse promittit? (cfr. S. I, 123). Accedit etiam Lydi De Mag. Rom. I, 41 testimonium, qui, de Lucilio Rhinthonis comoediarum imitatore locutus, haec subiungit: « μεθ' ὃν καὶ τοὺς μετ' αὐτόν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικούς, οἱ νεώτεροι τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες ». Agitur ergo tantum de imitatione, quae in poëtici generis charactere, non in genere ipso adparet; quod nisi ita intellegatur, tunc non modo Lucilium, sed et Horatium et Persium et Iuvenalem omnes in satiris a Graecis pendere necesse esse ut fateamur, Lydi testimonium docet; ad cuius sententiam ii, qui post Lucilium satiras scripserunt, Cratini et Eupolidis τὸν χαρακτῆρα sectati sunt. – Restat igitur, ut illud « *hinc* » interpretemur « *a libertate* » irridendi et subsannandi, quà prisca Atticorum comoedia insignis ferebatur; quod est « ὁ χαρακτήρ », de quo loquitur Diomedes loco laudato Sed, ut satius repetamus, quis contendat hoc fieri non posse, quin laus et gloria inventionis, praesertim si de genere diverso agitur, alicui scriptori adimatur?[1]). Nostram interpretationem confirmare videntur verba quae iam scripsit Krügerus (Drei Satiren des Horaz cett. Braunschw. 1850, p. 3.): « Lucilius *im Geiste der alten attischen Komödie* mit rücksichtsloser Freimüthigkeit die Gebrechen seiner Zeitgenossen tadelte ».

---

1) Eodem modo, quo archaeam comoediam Lucilius, neotericam (in qua floruit Menander apud Graecos, ut in archaea Aristophanes) aemulatus esse Horatius dici potest. Quis autem asseveret, Flaccum a comoedia nova *pendere omnem*, adeo ut satira Horatiana ab ea sit profecta? Nonne Horatius ipse potius fatetur, se in genere satirico, quod intactum Graecis carmen appellat, Lucilii vestigia persequi? (cfr. S. I, 10, 48; II, 1, 29; 62). Quae autem tamquam a Graecorum comoedia petita Heindorfius et Lambinus attulerunt et collegerunt, non ex pressa imitatione, sed potius ex simili mente et cogitandi more, qui inter Romanos et Graecos intercedebat, profecta esse optime scribit Passovius. Quod si de Horatio recte adfirmatur, aeque de Lucilio dici potest. Uterque enim poëta suum ingenium ad condiciones moresque aetatis, qua vixit, accommodavit, adeo

Horatius igitur asseverat, satiram romanam esse carmen a Graecis non tractatum huiusque poësis generis Lucilium inventorem fuisse. Id iure suo adfirmasse Horatium, nemo, ut credimus, negabit. Iam inter veterum testimonia grammaticorum exstant duo gravissimi et triti loci, apud Quintilianum et Diomedem, quorum eadem est sententia [1]). Haud infitiamur et

---

ut nihil apud eos invenias, qucd vel temporum condicioni repugnet, vel discipulum in verba magistri iurantem, potius quam poëtam omnia ex suo ingenio excudentem, prodat. Quod quidem, quantum ad Lucilium spectat, probe confirmant versus ipsius Horatii S. II, 1, 30 seqq.: *Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris* neque si male cesserat usquam Decurrens alio, neque si bene: quo fit ut *omnis Votiva pateat veluti descripta tabella Vita senis*». (Hinc vere dictum videtur illud Lessingii; «Das Leben eines Dichters sind seine Gedichte). Satiram enim, ut comoediam, filiam esse, ut aiunt, temporum, nemo est qui neget. Et revera, ut Athenis veterem Aristophanis comoediam, temporis lapsu et civilium condicionum inversione, nova Menandri (ut de media taceamus) excepit, eadem fere de satira romana adfirmari possunt. Quod enim erat consentaneum moribus, consilio et ingenio tum Horatii tum aevi Augustei aequalium, id admodum abhorrebat a Lucilii temporibus. Poterat utique Lucilius, vigente Republica libertateque integra, primores populi populumque ipsum tributim arripere et sale multo urbem defricare. Sed idem non cadit in Horatii tempora. Quamvis tunc forsitan res non ita magni esset periculi «scribere contra eos qui proscribere possunt», tamen id quidem hominis recte sentientis non fuisset multumque habuisset inauditae petulantiae (cfr. Campe, Jahrbüch. f. Phil. 1871. l. l.). Horatius igitur diversam a Lucilio scribendi rationem inire propemodum coactus, risum quam invidiam indignationemque movere mavult. Non inepte igitur definit Muellerus satiram horatianam quasi satiram ridentem («eine lachende Satire»). Obiter denique animadvertimus, temporibus Neronis et Nervae, quibus morum depravatio mirum in modum creverat, aliud voce, ut ita dicamus, coloreque prorsus diversum satirae genus oriri, Persii nempe et Iuvenalis (cfr. Petschar. De sat. horat. Rudolfsw. 1877; Teuffel. Die Charakteristik des Horaz. Leipz. 1842; Nieberding. De satirica poësi Q. Hor. Fl. coll. cum satir. poësi D. I. Iuven. Becklingsh. 1843). Ceterum omnes Lucilio posteriores satirici quin illius imitationem profiteantur, non esse dubium, apposite adnotat Muellerus.

1) Quint. Inst. Orat. X, 1, 93: «*Satira quidem tota nostra est*, in qua *primus* insignem laudem adeptus est *Lucilius* cett.

Diom. 482. Putsch. «Satira est carmen *apud Romanos*, *non* (nunc) qui-

inter antiquos viros doctos, ut de recentioribus taceamus, nonnullos inveniri qui oppositas sententias defendant satiramque romanam vel a dramate satyrico Graecorum [1]), vel a iambis cett. deducant. Hinc miserrima confusio orta est. De hac quaestione primus ex professo et fusius egit Isaacus Casaubonus, qui quamvis analogiam quandam in satira latina cum Sillis Graecorum vidisset, tamen eam ut genus poësis proprium et domesticum Romanis vindicavit, idque ab inscriptione ipsa sui operis («de satyrica Graecorum poësi et Romanorum satira »), ubi « *satyrica* » (σάτυρος) per *y* et « *satira* » (satura) per *i* scripsit, ut eluceret, effecit (cfr. etiam Mette, de satira romana et satyrica Graecorum poësi).

Postquam Casaubonus huic quaestioni (quantum saltem ad sic praedicatam satirae latinae originem a Graecorum dramate satyrico pertinet) finem fecit, adeo ut iure possit adfirmari, litem non amplius esse sub iudice, miramur, in recentioribus, Labittium, virum Galliae doctissimum, in gallicis ephemeridibus [2]) cum risu quodam et contemptu sententias Horatii et Quintiliani (satiram esse carmen *intactum Graecis* S. I, 10, 66, eandemque *totam* esse *Romanorum*. Inst. Or. X, I, 93) in medium proferre easque vel pro poëtica superlatione vel pro domestica vanitate habere; nec non Castorchium, patriae forsitan amore ductum, in graecis ephemeridibus [3]) satiram latinam carmen formâ utique Romanis proprium fuisse, sed indole et materiâ a Graecis petitum contendere. – Quas aliasque falsas, nostro quidem iudicio, sententias ut

dem *apud Graecos*. . . . . quale scripserunt *Lucilius* et Horatius et Persius cett.

1) Quod etiam in causa fuit, ut illa, historiae et etymologiae ratione habita, vitiosa huius vocabuli «satira» scriptura, scilicet per *y* pro *u* vel *i*, diu obtinuerit.

2) La Satire et la Comédie à Rome. par Ch. Labitte. Revue des deux Mondes. XIV. p. 548 seqq.

3) Περὶ φύσεως τῆς ῥωμαϊκῆς σατύρας καὶ τῆς συγγενείας αὐτῆς πρὸς τὴν τῶν Ἑλλήνων κωμῳδίαν. Scripsit Εὐδ. Καστόρχης. V. Ἀθήναιον. IV. p. 243-290.

refellamus, et quo melius recta Horatii et grammaticorum, Quintiliani præcipue et Diomedis, iudicia de satirae latinae origine perpendamus, pretium operae esse ducimus satirae romanae historiam breviter et quatenus ad propositam rem pertinet, enodare. Hanc autem quaestionem difficilem et vexatam tribus potissimum causis esse adfirmat Van Heusde (Studia critica in Luc. poëtam. Trai. ad Rh. 1842, in praefat. p. 3), ob fontium penuriam, suspectam tradentium fidem et locorum in magna paucitate summam corruptelam. Hinc non immerito scribere videtur Teuffel. (Gesch. der röm Liter. Leipz. 1882, p. 5): « Ueber die Saturae ist alles dunkel und unsicher ».

Antiquitus quidem vocabulum « satira » (rectius: « satura ») non idem significavit ac posterius. Romani enim, utpote qui erant patriae institutorum tenacissimi, nomina, etiam mutato rei genere, asservabant [1]). Libris et opusculis, quae de satirae romanae origine et natura agunt, perlectis et accurate antiquorum testimoniis scriptorum examinatis, in hanc sententiam venimus, satirae romanae historiam in quatuor aetates distribui posse [2]):

I. Satira carmen rusticum, extemporale et inconditum est.
II. Vestem dramaticam induit et praecipue Livii Andronici operâ, expolitior et magis ad artem et praecepta revocata evadit.

---

1) Huius rei luculentissima quoque nobis occurrunt testimonia in iure romano, ubi veterum institutorum vocabula religiose servabantur, quamvis mutatis rerum condicionibus non iam responderent. De qua re iam tribus abhinc annis fusius egimus in scholastica disputatione, cui inscriptionem imposuimus: «De iudiciis privatis apud Romanos».

2) Hoc statim admonitum volumus lectorem, nos non id contendere, satiram romanam necessario quodam et naturali ordine et progressu ab una in alteram aetatem transisse, sed hoc tantum: satiram, temporis lapsu, apud Romanos illos quatuor sumsisse adspectus, qui saepe nullo, aut ferme, adfinitatis vinculo, si nomen solum excipias, inter se cohaerent.

III. Satira scaenicum characterem amittit et per Ennium fit carmen extra-scaenicum, versuum argumentorumque varietate insigne priorique satirae aliqua tantum ex parte simile.

IV. Lucilius novi satirae generis inventor exsistit, cum illam ennianam et priori generi propriam varietatem neglegat et id sibi praecipue proponat, ut hominum vitia castiget et corrigat; quam satiram, utpote quae proprium quodammodo colorem sumserit et novum litterarium, ut dicitur, genus constituerit, posteriores quoque satirici (Horatius, Persius et Iuvenalis in præcipuis) sunt imitati; adeo ut recte iudicare Horatius sit censendus, cum Lucilio satirae inventae honorem tribuat.

Plena huius argumenti, nempe, de satirae latinae origine et progressu, pertractatio aliena est a consilio nostro, neque paucis absolvi potest verbis ac pagellis. De hac re illi sunt consulendi, quorum superius laudavimus opuscula, ubi proprie de satira romana agitur. Nos officio nostro satis fecisse credimus, si quae alii cum recte tum copiose praeceperunt, in epitomen, ut plurimum, redegerimus. Ceterum novis coniecturis vix locus est relictus et alia ex parte non satirae latinae historiam nobis explicandam, sed Horatii iudicia de satirae latinae origine pertractanda esse, huius commentationis inscriptio ipsa docet.

Recte sentire videntur qui satirae romanae initia ad origines poësis apud Romanos referunt cumque his arcte connecti praedicant.

Italos natura et ingenio ad iocos et facetias propensum populum fuisse, inter doctissimos quosque viros aperte constat. Illud « italum acetum » (Hor. S. I, 7,32) in proverbium quasi abiit. Rudimenta autem prima cuiuslibet rei in natura ipsa sunt perquirenda, quae, ut Aristotelis verbis utamur, praebet τὸ αὐτοσχεδίασμα; ipsa enim, ut Longinus ait, est πρῶτόν τι καὶ ἀρχέτυπον γενέσεως στοιχεῖον ἐπὶ πάντων κτλ. Quod natura in suo sinu antea absconditum et asservatum explicat

et in lucem producit, id postea corrigit ars et expolitius reddit.

Non mirum igitur, si cum latinae poësis in universum tum satirae initia in campis, ut ita dicamus, quod est proprium naturae regnum, sint quaerenda. Romani prisci (eheu ! quantum mutati ab illis ii qui nunc sunt!) populus erat qui agricola κατ' ἐξοχήν appellari poterat. Ut gratum animum erga deos ostenderent eosque sibi benignos servarent, mos erat agricolis, messem legentibus, rustica festa in deorum honorem celebrare eisque frugum primitias offerre. Hi fructus in patinis seu lancibus ponebantur, quae, cum illi cuiuslibet essent generis magnaque copiâ apponerentur, *saturae* appellabantur. Hoc est omnium fortasse veri simillimum etymon vocis « satirae », quae temporis progressu aliud significavit atque initio, sed nomen intactum retinuit, ut modo fabulam scaenicam, modo quoddam poësis genus materiae et metri varietate insigne, modo denique vehementem vitiorum irrisionem et cavillationem indicaret.

Consentaneum erat Italorum naturae, quae, ut iam diximus, ad facetias et iocos proclivior erat, his praecipue festis agricolas, omnibus curis et laboribus solutos, convicia alterna iactitare et inter se lacessere. Sunt huius rei luculentissima testimonia apud Vergilium, Horatium et Tibullum, quos locos integros referre non quidem est alienum a re proposita:

Horat. Ep. II, 1, 139 seqq:

« Agricolae prisci, fortes parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis aevi.
*Fescennina* per hunc inventa licentia morem
*Versibus alternis* opprobria rustica fudit,

Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam
In rabiem coepit verti iocus, cett. »

Verg. Georg. II, 385 seqq.:

Nec non Ausonii, Troia gens missa, coloni
*Versibus incomptis* ludunt risuque soluto
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu....
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
*Carminibus patriis lancesque* et liba feremus
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram
Pinguiaque cett.».

Tibull. Eleg. II, 1, 51 seqq.:

Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede.
*Et satur arenti primum est modulatus avena*
*Carmen,* ut ornatos diceret ante deos,
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
. Primus inexperta duxit ab arte choros ».

Ex his locis igitur intellegi potest, priscis temporibus Liberalia ab agricolis Latii acta esse, qui, messe condita, vino graves gaudioque exsultantes praetereuntibus sibique invicem ingerebant dicteria et probra, versibus, ut plurimum, inconditis et extemporalibus. Scurrilitatis illius exempla nota ex Horat. S. I, 5. 51. I, 7,28. Verg. Ecl. III. Quamquam scriptorum auctoritate (cfr. Arist. Poët. IV.) etiam apud Graecos festa in honorem deorum ruralium post messem et vindemiam agebantur, in iisque pubes rustica, ut apud Romanos, curis vacua et genio indulgens ad dicteria deflectebat salsa versibusque incompositis et extemporalibus expressa [1]);

1) Aristoteles haec carmina vocat αὐτοσχεδιάσματα. Sensim vero ars

tamen id apud Romanos non a Graecorum imitatione (tunc enim nullum commercium Romanorum cum Graecis erat), sed a natura est profectum. Mos enim ridendi et cavillandi, si quidem Romanis erat praecipuus, omnibus tamen hominibus est communis, utpote qui ipsâ fere naturâ ad eum incitentur.

Praeterea ex scriptorum locis scimus, hanc alios lacessendi carpendique licentiam (quae initio simplex et candida erat, nam *lusisse amabiliter* testatur Horatius Ep. II, 1,148), temporis lapsu eo usque processisse, ut lex ad eam compescendam lata sit. Qui enim rustici et innocui lusus magis rure quam in urbibus principio viguerunt, temporis progressu factum est, ut, agrorum finibus non iam contenti, urbium incolis placuerint et, ingenua illa simplicitate et hilaritate amissa, nocere coeperint; idque praecipue in dissensionibus inter patricios et plebeios saepe factum constat. Legem sanctam fuisse ad hanc licentiam coërcendam testatur Horat. S. II, 1,82; Ep. II. 1,152. Cfr. etiam Cic. Tusc. IV, 2, 4: « Quamquam id quidem etiam XII Tabulae declarant, condi iam tum solitum esse carmen, quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege sanxerunt.» et De Rep. IV. 10: « Duodecim tabulae cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc

---

adhiberi coepta est rusticique homines ad numerum (ῥυθμόν, μέτρα καὶ ἁρμονίαν) et canere et saltare coeperunt. Hinc poësis dramaticae chorus originem duxit, qui principio e satyris, ut plurimum, componebatur. Neque refert heic neque est necessarium originem scaenicae poësis studiose inquirere. Haec tantum subiungemus, ex illis Satyrorum choris, quos priscae aetatis ruricolae omni dicacitate et petulantia refertos agebant, natas esse satyricas Graecorum fabulas, quae tragoediis addi solebant, ut illarum severitatem temperarent. Ex his vero fabulis tragico-satyricis unum tantum superest exemplum, quod est *Cyclops* Euripidis. Haec nos attingere voluimus, quo melius nobis via pateat, ut recte iudicare possimus, quatenus similitudo et ἀναλογία, quam sic praedicant, inter satiram romanam et Graecorum drama satyricum vera sit.

quoque sanciendam putarunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri ».

In his igitur festis campestribus est quaerenda origo prima satirae romanae, quae ita nominabatur sive quod ea carmina in sacris canebantur, ubi *lances* illae *saturae* erant, sive similitudine rei, quia multa et varia comprehendebant [1]). Ad hanc originem latinae satirae significandam occurrunt saepius apud scriptores verba: «saturnii vel fescennini versus [2])», quibus vetus illa satura exprimebatur. Non enim vocem «satura» ab Ennio esse inventam, ut nonnulli viri docti

---

1) Ad Mommseni sententiam (Röm. Gesch. I. 28. 222. 457) est satura «die Mummenschanz der vollen Leute (σάτυροι, saturi coll. Tib. II, 1, 23), das beim Volkscarneval gesungene Lied.». Sed hoc «mit Unrecht» dictum esse, adfirmat recte Teuffel. Gesch. der röm. Lit. Leipz. 1882, p. 6.

2) Cfr. Liv. VII, 2: «qui non sicut ante *fescennino versu similem* incompositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed *impletas modis saturas*» cett. et Val. Max. II, 4, 4: « paulatim *deinde ludicra ars* ad satyrorum modos perrepsit cett.» «Fescennini versus (ut scribit Van Heusde. op. cit. p. 266) incompositi erant et rudes ut Saturnii, sed hoc habebant *peculiare* quod *alternis* iaciebantur et vel iocularia ac probrosa vel obscaena verba continebant ».

Horatius quoque voce «*fescennina*» usus est, ut initia satirae latinae declararet. Schol. ad Horat. Ep. II, 1,145 sic definit versus fescenninos: « Fescennina, iocularia carmina et probrosa, dicta ab oppido Fescennino, unde processerunt, ut Atellana ab Atella dicta sunt ».

De versu saturnio, quem Horatius *horridum* appellat, Ep. II, 1,157, non satis constat inter viros doctos. Nuperrime scripsit de hoc numero et quidem doctissime Lucianus Muellerus (Metrik der Griechen und Römer. 1880; cfr. etiam eiusdem de re metrica poëtt. latt. 1861). Illud tantum addimus (hanc enim quaestionem diutius persequi alienum est a re nostra), inter versuum nomen et saturas antiquas arctius quoddam adfinitatis vinculum fortasse intercedere, quam quod adhuc viri docti cogitarunt. Neque facimus cum Gerlachio (in Prolegg. ad Lucilium suum), qui contendit, Romanos nomine «*saturnii*» nil praeter antiquitatem, sicut voce «*fescennini*» lasciviam atque petulantiam spectare. Fusius de hac re et optime disseruerunt, praeter alios, Petermannus (Ueber Ursprung und Begriff der römischen Satire. Glogau, 1856) et Paldamus (Ueber Ursprung und Begriff der Satire, Greifswald, 1834).

contendunt, testimonio est locus apud Titum Livium (VII. c. II), qui saturas scaenicas, quae dicebantur, iam ante Livii Andronici tempora usurpatas fuisse ostendit.

Sed, ut patet, haec carmina, quae in deorum festis [1]) canebantur, nullum proprium et peculiarem characterem habebant, immo potius epicae vel lyricae vel scaenicae poësi aeque adscribi posse videbantur. Habebant enim ex omnibus aliquid admixtum, sed proxime accedebant ad scaenicam. Neque id mirum; natura enim Romanorum quin ad rem dramaticam nata et proclivis fuerit, minime est dubium [2]).

Haec autem vetus satira, quae, quamvis rudis et incondita, tamen a ludis scaenicis non omnino aberat, ad maiorem perfectionem evehi diu non potuisse videtur, quod risui iocisque solutis nimis studebat et scurrilem dicacitatem plus aequo affectabat; quod denique iis saturniis vel fescenninis versibus utebatur, qui, ut procacibus obscaenisque iocis scatebant, ita elegantiae metrique legibus haud semper obtemperabant, quamvis rhythmi non plane expertes; quos versus, ut verba Ennii afferamus, «olim Fauni vatesque canebant, Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat Nec dicti studiosus erat».

Haec igitur satura, quae ad dramaticam poësim aliqua saltem ex parte accedebat, maiorem quandam perfectionem consecuta est, cum locum habuit, quo excoleretur, cum, ut ita dicamus, e campis in scaenas fuit translata, nominis similitudinem retinens, quamvis materia et argumentis toto fere caelo diversa.

---

1) Non solum in deorum festis, sed etiam in epulis, in triumphis (Plin. H. N. XIX, 41, 3; Liv. IV, 53; Cic. Tusc. IV, 2; Brut. XIX ,75) similia carmina recitabantur.

2) Huius Romanorum naturae vestigia et in personarum usu et in alternis versibus deprehendi, recte scribit Gerlachius (in Prolegg. ad Lucil. suum).

Et hinc exoritur altera aetas in historica explicatione satirae apud Romanos, cum nempe satura fit δραματική. Illud docet insignis de origine rei scaenicae locus apud Livium VII, 2, qui eo maioris ponderis est, quod unus exstat ex omnibus Romanorum scriptorum operibus (cum taceamus de Val. Max. II, 4, 4, qui locum livianum sine dubio ob oculos habuit, et de Tac. Ann. XIV, 21, qui idem argumentum leviter tantum tetigit. Cfr. praeterea Aug. de Civ. Dei II, 9 et 13), ubi de ea re tam copiose et accurate agatur. Illum locum integrum (quod ad nostram commentationem spectat) referre et apponere lubet paucisque adnotationibus illustrare:

«C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone coss., pestilentia fuit... Cum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur..... ludi quoque scaenici inter alia caelestis irae placamina instituti.... Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Hetruria adciti ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos iuventus simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus coepere; nec absoni a voce motus erant.... Vernaculis artificibus, quia *hister* Tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: *qui non sicut ante, Fescennino versu similem incompositum* temere ac rudem iaciebant, sed *impletas modis saturas* [1]) descripto iam ad ti-

1) Haec est igitur satura vel satira dramatica (cfr. τὸ gallicum « *farce* », italicum « *farsa* », germanicum « *Mischspiel* » quorum quoque sermonum haec vocabula mistionem et saturitatem significant) e saturniis et fescenninis enata vel ad eorum similitudinem efficta iisque substituta in scaenis (cfr. verba liviana, ex quibus efficitur: versibus ridicula fuisse intexta, quae iuventus Romana inter *se more antiquo iactitaverit* ). Quamvis minus rudis et incondita, quam fescennini, exstitisset, tamen remanebant adhuc in ea « vestigia ruris »; sed (quod est laudabilius) iam certis modulis legibusque tum rhythmi tum saltationis et cantus constabat. Actio autem non unius ac certi alicuius argumenti sed varii mixtique erat; adeo ut etiam ob hanc varietatem nomen ei, aeque ac didacticae et posteriori Romanorum satirae, bene conveniret, ut infra monebimus.

bicinem cantu motuque congruenti peragebant. Livius (Andronicus) post aliquot annos.... ausus est primus argumento fabulam serere [1]..... Postquam ludus paullatim in artem verterat, iuventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit; quae inde *exodia* postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus ludorum.... tenuit iuventus nec ab histrionibus pollui passa est» [2]).

Haec quoque satira Romanorum διαλογική et δραματική antiquissima fuit diuque mansit apud ipsos, nam et tum ante Livii Andronici tempora, tum, Exodiorum nomine, post illa longam per aetatem in scaenis substitit; fabulae enim, ex graeco in latinum sermonem versae, quas primus Livius Andronicus argumento serere ausus est (cfr. Liv. et Val. Max. locc. laudd.) quamvis paulisper Romanis probarentur, tamen non diu viguerunt, quippe quae domesticum illum colorem et candidam festivitatem veteris saturae non iam praeberent. Hoc, ut opinamur, magni est momenti ad nostram sententiam confirmandam, cum, de latinae satirae historia disputantes, hanc recte «intactum Graecis carmen» ab Horatio appellatam esse diximus. Satira enim romana

---

1) Igitur Livii Andronici operâ factum est, ut fabula uno eodemque argumento partibusque inter se connexis constaret, neque, ut priores saturae, res plane diversas ac varias confunderet. Hoc livianum «*argumento serere*» distinctius explicat Val. Max. l. l.: «A saturis primus omnium poëta Livius *ad fabularum argumenta* spectantium animos transtulit». Quas fabulas Andronicus primus in scaenis agere ausus est, eas non domesticas sed e graeco sermone in latinum versas fuisse constat.

2) Verba Livii ad hunc locum bene παραφράζει Casaubonus op. cit. p. 182: «Fabularum compositione inventa, refrixit initio satura. Verum hoc tantisper, dum mos obtinuit, ut ipsi poëtae suas in scaena fabulas agerent (cfr. Liv. l. l.): ubi vero agendi partes ad histriones sunt translatae, retulit in scaenam ipsa iuventus romana risus iocosque priorum satirarum, non quidem ut fabulas excluderent, sed ut fabulis ipsis, praesertim autem atellanis, adiungerentur sive insererentur».

in qualibet ex quatuor aetatibus, in quas nobis eius historiam dividere placuit, a Graecorum imitatione aliena fuit, nisi forte excipias tertiam (sc. satirae Ennianae); de qua re infra erit sermo, cum de interpretatione versus 66 sat. 10 disseremus.

Pergamus nunc ad tertiam aetatem, qua satira romana adolescere visa est, nempe, ad Ennii saturam. Ut superiorem δραματικὴν καὶ διαλογικήν appellavimus, haec διδακτικὴ καὶ διηγηματικὴ recte potest nominari [1]). Differentiam huius generis a superiore et transitionem ab una ad alteram sa-

1) Mentionem hic facimus satirae varronianae, quae, nisi eo quod varietati metri et materiae etiam prosam orationem Varro miscuit, non differt ab enniana ideoque huic adscribi posse videtur. Cfr. Quint. Inst. Or. X, 1,95. Vossius quoque (Etym. ling. lat. p. 450) ad idem genus pertinere ennianam et varronianam satiram docet; nam scribit: « Satura Ennii et Varronis ex eo nomen accepit, quod multa metra ac res pariter misceret» ab ipsaque posteriorem, Lucilii, Horatii et Persii secernit, aliam huic insuper tribuens etymologiam.

Cfr. praeterea Probus (ad Verg. Ecl. VI. 31), qui auctor est, satiras suas Varronem Menippeas vocasse « non a magistro (Menippo Gadarensi cynico) sed a societate ingenii, quod is quoque *omnigeno carmine* satiras suas expoliverat ». Verum non modo in poësis genere et natura varronianae satirae similitudo inest cum enniana, sed etiam in verborum usu ; in illa enim saepe tam vetusta et obsoleta vocabula occurrunt, ut si Ciceronis elegantiam prae oculis habeas, Varronem saeculo ante vixisse statueres oporteret. Cfr. quae de hac re scripsit Fritzsche in opusc.: « Menipp und Horaz. Ein Beitrag zur Gesch. der Satire. Güstrow. 1871 ». Illa autem enniana metrorum argumentorumque varietas, quam cum prosa oratione coniunctam Varro reddidit, adparet rursus (ut saepe inter prima litterarum initia et ultima illorum monumenta mira quaedam intercedit similitudo) in Ausonii Epistolis, quarum quamvis magna sit dissimilitudo, tamen quod varia versuum genera iungunt, antiquae satirae ingenium exprimunt. (Cfr. Hermann. De satirae romanae auctore, cett. Marburg. 1841). Varronis exemplum secutus est etiam Annaeus Seneca in lepidissima satira, quae Ἀποκολοκύντωσις sive ludus de Claudii Imperatoris morte inscribitur multosque versus prosae orationi intermixtos exhibet. Quae ligatae et solutae orationis mixtura occurrit quoque in Petronii Satiricon libris (Cfr. Teuffel, Geschichte cett. p. 650 et 690).

tirae aetatem bene notat Vahlenus in Ennio suo (Lipsiae. 1854 p. LXXI): «Ubi Romae regnare Graecorum fabulae coeperunt, saturae et Atellanae primo negligentius habitae, dein evanuerunt de scena. Sed eas postea ingeniosi poëtae ex oblivione suscitatas litteris novo decore instructas reddiderunt . . . hinc Ennii satura prodiit, *lectoribus non scenae dicata*». [1]). Enniana igitur satura non multum differebat a scaenica: ut in hac enim erant diverbia, haec quoque non deerant in enniana, quae etiam, ut scaenica, argumentorum varietate notabatur. Diverbiorum usus [2]) in satiris ennianis non ex fragmentis, quae nimis pauca et lacera sunt, sed ex testimonio Quintiliani elucet, qui Inst. Or. IX, 2, 36 tradit, Mortem ac Vitam contendentes ab eo inductas. Varietatem autem argumentorum et fragmenta, ut de nomine ipso taceamus, testantur, et Quintiliani Inst. Or. X, 1. 95 [3]) et Diomedis 482. Putsch. aliorumque scriptorum verba confirmant. Differebat autem a satura scaenica, quod cum non oculis auribusque sed mente animoque potius esset percipienda et ad quamlibet vitae hominum partem explicandam intenderet, a rustica, scurrili et intemperanti illa dicacitate iocisque solutis, quibus satura scaenica insigniebatur, abhorrebat; quod si haec quoque aliquando festivitati indul-

---

1) Cfr. etiam Zell, Ferienschriften. T. II p. 147: «Von der alten römischen auf der Scene vorgestellten Satura ist wohl zu unterscheiden die spätere Satire des *Ennius*, Varro, Lucilius».

Quot satirarum libros conscripserit Ennius, non satis constat inter viros doctos: harum quatuor libros memorat Porphyrio (ad Hor. S. I, 10, 46); sextum autem citat Donatus (ad Terent. Phorm. II, 2,25), nisi fortasse numerus «VI» ex corruptela «IV» exstiterit.

2) Hanc satirae scaenicae notam etiam satira posterior aliqua ex parte servavit. Conferantur Lucilii satirarum fragmenta, nec non Horatii satirae, praesertim in libro secundo.

3) Hoc loco Quintilianus non loquitur diserte de Ennio, sed verba «*prius satirae genus*» ad nullam aliam nisi ad ennianam satiram referenda esse consentiunt omnes fere inter se viri docti, (cfr. Vahlen. Ennianae poësis Reliquiae. Lipsiae 1854, p. LXXXI seqq.; Hermann op. cit.; alios). De hoc Quintiliani loco nonnulla inferius disputabimus.

gebat, non *derisum comicum* sed *risum* potius *satiricum* (ita risum a derisu distinxit Eichstädtius, duce Quint. Inst. Or. VI, 3) sectabatur. Varietati autem materiae respondebant varia metrorum genera, quod et fragmenta et scriptorum auctoritas arguunt: in satira enniana erant versus trochaici et iambici cum versibus dactylicis mixti. Verum hac versuum varietate non inconsulto ac temere Ennium usum fuisse, sed eo quo melius ipsorum argumentorum diversitas, mutato metro, illustraretur, probabili coniectura adfirmari potest [1]).

De satira varroniana (quam ob suam indolem et formam ad ennianam referendam esse vidimus) iam superius in adnotationibus breviter, sed pro nostro proposito satis superque, locuti sumus; haec quidem, ut verba Vahleni (in Praefat. op. cit.) nostra faciamus, doctiore ac multipliciore forsitan argumento, quam enniana, fuit; [2]) «aequalium autem cavillationi acriorique morum censurae neutra insignius dedita est existimanda». Qua in re, omnium consensu, principatum obtinuit Lucilius [3]).

---

1) Et Pacuvium satiras conscripsisse, unum tantum exstat testimonium apud Diomedem loco laudato, qui eas ennianarum similes fuisse statuit.

2) Quod facile arguitur de homine omnium aequalium doctissimo.

3) Vehementer errare putamus Dacierum, Galliae virum doctum, qui duo tantum satirae genera, ennianum scilicet et varronianum (quod nos in enniano comprehendi posse adfirmavimus), distinguit, et, quod est gravius, differentiam lucilianae satirae ab enniana et pacuviana (quam iam Diomedes loc. laud. aperte notavit) refellit, cum utrumque genus simile esse contendat. Eius verba haec sunt: « En un mot, si les satires de Lucilius sont différentes, parce que le premier a beaucoup ajouté au travail de l'autre, il s'ensuit de là que celles d'Horatius et celles de Lucilius sont aussi entièrement différentes, puisque Horatius n'a pas moins enchéri sur les satires de Lucilius, que celui-ci avait enchéri sur celles d'Ennius et de Pacuvius». (Mémoires de Littérature de l'Académie cett. 1719). Igitur in errore quoque versari credimus Vachsmuthium (Athen. pag. 214) qui differentiam ad formam tantum pertinentem, non ad *essentiam*, exstare putat inter ennianam et horatianam satiram (quae ipsius Flacci testimonio lucilianae similis est), nam scribit: « Die Worte

Et iam progressi sumus ad quartam aetatem Romanae satirae, ad satiram lucilianam. Quae sit huius satirae natura, quibus rationibus distet ab aliis satirae generibus, in progressu nostrae disputationis elucebit. Nunc statim id nobis persuasum esse fatemur, iure meritoque dictum ab Horatio Lucilium satirae auctorem vel inventorem, cum Horatius de nullo alio satirae genere loqui intellegatur, nisi de eo quod ad cavillationem hominum vitiosorum potissimum spectet (et in hoc genere quin primus floruerit Lucilius non est dubium); superiora autem satirae romanae genera, vel ob rusticam dicacitatem atque asperitatem, vel ob scaenicam petulantiam iocosque inconditos et solutos, vel denique ob tantam rerum metrorumque mistionem, quantam enniana satira praebuit, ad nullum litterarium, ut dicitur, genus, quod alicui sive auctori sive inventori referretur, pertinere poterant.

Ex hac brevi latinae satirae historia [1]) elucet in nulla ex quatuor aetatibus, in quas illam divisimus, ne minimum quidem Graecae imitationis vestigium exstare: non in prima, quia si et Graeci antiquissimis festis deos rurales colebant, id apud Romanos a natura, non ab imitatione profectum, iam

---

des Diomedes..... haben zu einer unwesentlichen Scheidung der Ennianischen Satire von der Horazischen Veranlassung gegeben. Man sieht aber bald dass aus dieser Stelle auf keine Verschiedenheit des innern Wesens geschlossen werden kann, sondern dass nur von der äussern Form die Rede ist. » (!)

Harum omnium pravitas sententiarum partim ex rebus dictis, partim ex iis, quas dicturi erimus, perspicue, ut confidimus, adparebit.

1) Paucis quidem sed aptis verbis satirae Romanorum initia et progressum explicat Rupertius (in praef. Iuven. Leipz. 1801): « Temporibus priscis quibus nec Satyri et satyrica dramata nec ulla graecae poëseos genera innotuerant Romanis, versibus Saturniis Fescenninisque in scena successit Satura ....: et haec deinde appellatio propter similitudinem aliquam, quae argumenti potissimum varietate continebatur, tam ad illa carminum genera quae ab Ennio, quam ad ea quae a Lucilio inventa dicuntur, ab auctoribus eorum grammaticisque translata est ».

supra monuimus; non in altera, quia causa cur satira, rustica veste posita, scaenicam induerit, fuit prorsus fortuita et latinis finibus circumscripta, ut liquet ex narratione Livii (l. l.) aliorumque. Suo loco iam diximus, luculentissime constare Romanos satiram rem sibi propriam ac domesticam iudicasse, quod cum ipsa et histrionum arte et Livii Andronici operâ ut expolitior sic etiam a nativo colore et festivitate recesserat, iuventus romana libenter ad pristinam satirae formam redierit et more antiquo ridicula inter se iactitaverit (cfr. Liv. l. l.). Ne in tertia quidem aetate (ad quam satira enniana pertinet) Graecorum imitationis vestigium ullum deprehendi potest. Quamquam enim etiam apud Graecos exempla carminum variis argumentis et versuum generibus mixtorum occurrunt [1]) Enniumque graecis litteris apprime doctum fuisse scimus, tamen ipsum Graecos esse imitatum neque ex scriptorum auctoritate neque ex fragmentis, quae supersunt, evinci potest. Quomodo de imitatione loqui possumus, cum de genere carminis agatur, quod varietate et mistione rerum metrorumque nulli vel potius cuilibet poësis generi adscribi liceat? Satiram denique lucilianam, quae ad quartam aetatem in satirae latinae historia pertinet, tam vere et proprie Romanorum domesticam fuisse, iam fere omnes eruditi, recentiores praecipue, consentiunt, ut operam perdere videatur, qui id ne-

---

1) Cfr. quae scribit Aristoteles (Poët. c. II, 6) de Chaeremone: καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε Κένταυρον, μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων κτλ. Accedunt insuper ipsius Theocriti idyllia « quae (ut bene ait Hermannus, op. cit.) quum ambiguitate inscriptionis cum satiris omnino comparari possint, cum ennianis hoc quoque commune habent, quod non solum argumentorum sed etiam numerorum varietate mixtum librum exhibent ». Praesto etiam sunt Menippi Gadarensis poëmata (unde Varronem satiras, quas ad eorum imitationem composuit, Menippeas vocasse, iam supra vidimus), qui et ipse, teste Probo loco sup. cit. « omnigeno carmine satiras suas expoliverat ». Casaubonus laudat etiam Homerum « fontem et normam omnis eruditionis », qui in Margite suo (?) heroicis versibus alia metra inseruerit.

gare conetur. Hinc confidenti animo adfirmare possumus, quem ad modum iuventus romana, ludis scaenicis ab histrionibus in artem versis, saturas in scaenas rettulit neque a ludionibus pollui passa est (cfr. Liv. l. l.), ita Lucilium illius nimis doctae et didacticae, omni vernacula festivitate carentis, satirae Ennianae genus fugisse et italicum patriumque leporem, quem olim versus rustici et ex tempore fusi exprimebant, urbaniorem limatioremque in modum satiris suis reddidisse et litteris servasse.

Ex his omnibus igitur, quae hactenus disputavimus, concludendum, iure suo Horatium satiram latinam adfirmare carmen non peregrinum sed domesticum esse. Quod si insuper grammaticorum testimonia accedant, quae cum horatiano congruant, non est, cur plura dicamus, uti hanc sententiam argumentis vel ex historia vel ex scriptorum auctoritate petitis demonstremus. Locos in medium proferimus integros, quod et gravissimi sunt et saepe procedente sermone nobis erunt citandi.

Quintilianus scribit: «*Satira quidem tota nostra est;* in qua *primus* insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita sibi deditos adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abunde salis . . . . . *Alterum illud etiam prius satirae genus*, sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus». Inst. Or. X, 1, 93, 94, 95.

Diomedis verba (quae partim iam alibi in medium attulimus) haec sunt: «*Satira est carmen apud Romanos, non apud Graecos* [1]), nunc quidem maledicum, ad carpenda ho-

1) De recta huius loci lectione valde ambigitur. Modo enim legitur: «... carmen... apud Romanos, *nunc quidem apud Graecos*, maledicum....»

minum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius; *at olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat,* satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius» 482. Putsch.

Haec sunt omnia argumenta, ut dicuntur, *externa* vel extrinsecus petita, utpote quae historia et scriptorum auctoritate nitantur [1]). Sed non desunt etiam argumenta *interna* vel intrinsecus quaesita, quae ad Romanorum Graecorumque indo-

---

modo: « *non quidem apud Graecos* » (quae est vulgata lectio) vel, omisso « *apud Graecos* », « carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum ». Sed, utut est, de verbis non de re ambigitur. Nam etsi lectio « nunc *quidem apud Graecos* » admittatur, nil inde aliud effici potest quam ut satiram prius apud Romanos, quam apud Graecos, ortam esse statuatur. Lectionem, quam sequimur et Van Heusde (Studia critica cett. pagina 287) restituit, rectam esse, potest comprobari eiusdem Diomedis verbis p. 488: «Satyrica est apud Graecos fabula»; unde apparet, Diomedem alio loco cavere voluisse, ne quis satiram Graecis et Romanis communem putaret. Verba autem, quae sequuntur « *nunc quidem maledicum* et ad carpenda vitia hominum » cett., novae satirae praecipuam notam, quae in prisca satira non nisi perraro deprehenditur, significare videntur.

1) Haec testimonia satis superque sunt, quibus oppositae sententiae recentiorum, qui dicuntur, criticorum refellantur. Iam contra huiuscemodi viros doctos, qui, coniecturarum libidine adducti, plus scire volunt de rebus antiquis quam antiqui ipsi tradiderunt et hariolationibus vehementer gaudent, pulcherrima Patini verba retorqueri possunt, quae exstant in: Journal des Savants 1846 p. 73: » L'oubli des régles sevères de la critique par la prétention d'en savoir sur les choses de l'antiquité plus que les anciens ne nous ont dit et que l'on ne peut légitimement en supposer d'après leurs témoignages pour le plaisir de conjecturer sans fin, *a conduit à des notices*, où la fantaisie domine et que j'appelerai volontiers: les romans historiques de l'érudition ».

Quae iam eadem fere dixerat Wielandus ad Hor. S: I, 10,66 contra Scaligerum disputans, qui sententiarum Horatii et Quintiliani oblitus vel rectius eas despiciens, romanae satirae graecam originem tribuerat. « Wie übrigens nachdem Horaz, der mit der griechischen Literatur sehr bekannt war, die Satire so ausdrücklich zu einer römischen Erfindung macht und hierin von einem beiderer Sprachen so kundigen Kunstrichter als Quintilian war, unterstützt wird, ein moderner Grammatiker das Gegentheil zu behaupten, würde kaum begreiflich sein, wenn es nicht Iul.

lem spectant. Quem enim ad modum romana ingenia a lyrica poësi abhorrebant, ita Graecos satirae Lucilianae [1]) inveniendae aptos fuisse negari potest (cfr. Hermann. De satirae auctore cett.). Huius rei causae et in differentibus Romanorum Graecorumque ordinibus civilibus et in diversa cum utriusque populi in universum tum singulorum civium natura sunt exquirendae.

Differentia inter antiquitatis et huiusce temporis populos, civilibus legibus ordinibusque adstrictos, in eo potissimum adparet, quod nostra tantum aetate singuli suo iure stant. Antiquis temporibus homo individuus, ut aiunt, nil est; civis tantum valet, qui a civitatis aggregatione omnia, per quae sit et quae habeat, repetit. Sed insigne erat discrimen inter Romanos et Graecos, si singulorum condicio, quae ad civitatem pertinet, apud utrumque populum attente perpendatur. Romanus tum demum aliquid esse incipit, cum civitas, aeterna illa Roma, ipso, quasi instrumento, utitur: statim ab initio omnia iura a civitate sunt, officia tantum a privatis [2]). Uno verbo dicamus, Romae vim quandam inesse, quae ad se omnia attrahat, quandam, ut ita loquamur, vim centripetam vigere. Aliter res se habet Athenis, ubi

---

Caes. Scaliger wäre. Iene konnten mit voller Kenntniss der Sache sprechen, denn sie hatten noch alle Producte der griechischen Literatur vor sich. Wir sprechen vom Margites des Homers, von den sogenannten Sillen des Xenophanes, die wir nicht mehr haben und also mit den Satiren der Römer nicht vergleichen können, und wollen gleichwohl mehr von der Sache wissen als Horaz und Quintilian! »

Ut denique cum Rupertio (in praefat. Iuven. Sat. Lips. 1801) concludamus, « haec testimonia, i. e. Horatii et Quintiliani, profecto digniora sunt fide quam incertae recentiorum coniecturae ».

1) Statim admonitum velimus benignum lectorem, nos ut nunc et infra cum de satira latina loquimur, Lucilianam intellegere; namque Horatius hanc potissimum respexit, cum eam intactum Graecis carmen appellavit huiusque generis inventorem dixit Lucilium.

2) Haec et quae pauca sequuntur de hac re, verba Teuffelii sunt (Die Characteristik des Horaz. Leipzig. 1842), quae e germanico ser-

civis personam non absorbet (liceat sic fari) civitas; haec non est quidquam per se ipsum perfectum, firmum ac stabile, sed inter populum et cum populo viget, immo a populo libere creatur. Aptissimum exemplum profert Teuffelius [1]) ad suam sententiam confirmandam. Romana instituta habentur a Latinis vetus paludamentum, quod, ut maiores induerunt, ita et nepotes religiosa quadam veneratione induunt neque ullam refectionem vel mutationem in eo fieri patiuntur: illud abicere esset tamquam sibi pellem detrahere. Graecus contra arbitratu suo temporumque varietate vestem induit vel exuit, mutat vel reficit.

Haec omnia sumus praefati, quo melius sententiam nostram probemus, id est, fieri non potuisse ut satira nusquam nisi Romae oriretur. Haec enim differentia inter civitatem romanam et τὴν πόλιν τῶν Ἀθηναίων ansam nobis praebet, diversam utriusque populi singulorumque civium indolem et ingenium considerandi; unde luce clarius adparebit, Romanos quasi naturâ ipsâ fuisse impulsos ad satiram inveniendam. Graeci enim ad *pulcrum*, Romani ad *bonum* animos intendebant, vel, ut recentibus utamur vocabulis, illi τὸ *ideale*, hi vero τὸ *reale* affectabant. «Das freie Geistesleben (optime scribit Gerlachius: C. Lucilius und die römische Satire. Basel. 1844) schien nicht herrlicher in seinem vollen Glanze hervorzutreten als durch dieses (id est, die praktische Richtung der Römer) Schattenbild des Gegensatzes». Profecto Romani omnibus in rebus id tantum, quod utile esset, spectabant gloriamque ipsam stultam habebant, nisi prodesset quod agerent. Romanus ad id unum aspirat, id unum affectat, ut homo frugi evadat. Animi mentisque occupationes pro desidia habet seque ipsum si cum leviculis Graecis comparat, gravitate praestare sibi persuadet *suamque virtu-*

---

mone in latinum convertimus; quae autem vir ille doctissimus pulcherrime et copiose disputavit, nos arctius et fortasse non bene exponimus.

1) Videsis notam superiorem.

*tem graecae fidei* et *graecae levitati* opponit (Cfr. Teuffel. op. cit.).

Hanc diversam utriusque populi naturam et vitae instituta graphice exprimunt illi Vergilii versus, qui in ore omnium sunt:

«Excudent alii spirantia mollius aera....
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hae tibi. e. q. s. Aen. VI, 847 seqq.

Cfr. etiam Horat. Ep. II, 1, 93 seqq:

«Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit, et in vitium fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum.....
Romae dulce diu fuit et solemne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere, per quae
Crescere res posset» [1]) e. q. s.

Hoc discrimen inter duos populos notat etiam Horatius Ep. II, 3, 324-332, ubi laudat Graecos «praeter laudem nullius avaros» et vituperat Romanos eorumque aeruginem et curam peculii. (Cfr. praeterea Ep. II, 1, 175: «gestit enim (Plautus) nummum in loculos demittere»).

Nunc vero cum nobis ob oculos versetur utriusque populi vitae cum publicae tum privatae ratio, mirum non est, utrumque populum non eodem modo in vitia et menda hominum inspexisse neque eodem modo ea diiudicasse [2]). Sa-

CICERO WOULD OBJECT

1) Rectissime ad hunc locum animadvertit L. Muellerus (Q. Hor. Fl. Eine litterarhistor. Biogr. Leipz. 1880 pag. 53): « Mit gutem Grunde ist hier der politischen und militarischen Eigenschaften des alten Roms keine Erwähnung geschehen. Horaz, ebenso wie Augustus, an den er diese Worte richtet, war viel zu sehr Römer, um jene Thätigkeit, der Rom seine Herrschaft verdankte, zu missbilligen. Er tadelt nur, dass die Vorwelt in den Zeiten des Friedens neben den Forderungen des praktischen Lebens wenig die Musen bedacht ».

2) De hac re bene quoque scripsit Grothof. (« Horaz als Satiriker ». Heiligenstadt 1863), qui Graecorum Romanorumque diversis admodum

tis est diversitatem cavillationis et vellicationis apud Graecos et Romanos attendere ac distinguere (cfr. Bernhardy. Grundriss der röm. Litter. p. 10). Qui naturâ ipsâ hilaris et iucundus est, omnia ei iucunda videntur. Graecus igitur non irascitur hominum vitiis, sed ea tantum in theatris facete carpit, ut risum moveat. Romanus contra, qui suae praestantiae virtutisque sibi conscius est, cui omnia quae aut ad mundi imperium [1]) aut ad suam ipsius utilitatem non pertineant, vana, immo vero damnosa ducit, Romanus, inquam, quodvis degener vel corruptum membrum huius societatis, ubi omnes vires ad unum, quem diximus, finem contendere debent, non ridere, sed potius resecare et, paene diximus, destruere vehementissime cupit [2]).

---

moribus et ingeniis examinatis, causas in clarissimam lucem protulit, quibus Romani quasi ad satiram nati dici poterant et tam acriter et diu graecis litteris et artibus obstiterant.

1) Cfr. verba, quibus Livius I, 16 facit Romulum in caelum sublatum Iulo Proculo loquentem: « Abi, nuntia Romanis caelestes ita velle ut mea Roma caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant sciantque et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse ».

2) Cfr. Teuffel. op. cit. Teuffelius praeterea quaestionem sibi proponens, cur si satira romana tam proprium et privum Romanorum genus est, non prius sit orta apud eos, animadvertit, ea utique de causa, quâ satira Romanorum ingenio ita esset consentanea, nunquam a Latinis abfuisse, sed antea sub alia forma exstitisse, ut sub forma censoriarum animadversionum et illius tacitae vel expressae contemptionis earum rerum, quae postea satirae materiam praebuerint; et opportune adfert Cic. De Rep. IV: « eiusmodi cives a censore melius est quam a poëta notari ». Breviter dicamus: tum demum satira oriri poterat, cum morum corruptio eo usque processerat, ut civitas eam iam coërcere nequiret; quamdiu enim morum sanctitas quasi civitatis religio habebatur et civitas ipsa in eius violatores animadvertebat, poëta satiricus, se non esse solum in suo officio fungendo existimare, sed multa magistratuum muneri concedere debebat; immo antea civitas ipsa satiram quasi sui iuris laesionem ducere ideoque scriptorem satiricum punire poterat. Altera est causa, quod satira genus litterarium est et tum demum litterarum cultus Romae incepit, cum

Igitur nostro iure adfirmare posse videmur, ut Comoedia propria et priva fuit Graecorum, ita Satiram fuisse Romanorum [1]).

Caveat autem benignus lector, ne verbis nostris alium tribuat sensum ac nos significare volumus: id tantum contendimus, satiram apud Graecos nunquam, ut apud Romanos Lucilii operâ factum est, genus, quod dicitur, litterarium fuisse [2]); ceterum elementa, ut aiunt, satirica hac illac sparsa et apud Graecos reperiri, nemo est qui neget. Immo Aristoteles in duo potissimum genera poësim dispertitus est, quorum alterum heroas et praeclara facinora, alterum deteriores homines et vitia pertractet. Ad illud hymnos et heroica poëmata, ad hoc ψόγους et iocularia versibus intexta revocat [2]); et huiuscemodi poësis exemplum in medium profert carmen illud quod Μαργίτης in-

---

iam ingenium vere et proprie romanum evanuerat; primos Romanorum scriptores libertos et non Romae natos fuisse, res est omnibus cognita. (cfr. Teuffel. op. cit.).

1) Id negari non potest et apud Graecos aliquando evenisse ut, veterum rerum publicarum forma labascente, morum depravatio eum in modum cresceret, ut nec locus nec argumentum satirae deesset: sed si qui eo rerum statu usi sint, philosophos, non poëtas, fuisse qui pedestri sermone prava corrigere hominesque ad saniorem vitae usum instituere conarentur, recte contendit Hermannus (op. cit.).

2) Quod ad hanc rem spectat, cfr. quae scripsit König. («de Sat. Roman. Olden. 1796» p. 23):

« Sit nomen (i. e. satirae) graecae originis, quod de multis verbis latinis probabili ratione disputare possis, *hoc tamen constat* Graecos eodem ad carminis aliquod genus, praesertim satiricum, nunquam fuisse usos: adeoque usus saltem, ad quem Romani illud adhibuerunt, novus est dicendus». Cfr. insuper Grothof. (« Horaz als Satiriker Heiligenst. 1863» p. 4). «Von den Völkern des Alterthums haben nur die Römer diese Art der Poësie ausgebildet; bei den Griechen, die doch eine so reichhaltige poëtische Literatur haben, *findet sie sich nicht als eine besonders ausgebildete Dichtungsart*, sie haben *nur verwandte Arten* aufzuweisen»,

3) Cfr. Linguittius. De satirae romanae ratione et natura — 1875, Salerno pag. 17).

scribitur et perperam Homero tribuitur, in quo ridiculus homo carpitur, qui «πολλ' ἠπίστατο ἔργα, κακῶς ἠπίστατο πάντα». Vis satirica praeterea inest etiam in Thersite homerico (Il. β, 211-217). Neque sunt praetereundae Graecorum fabulae satiricae et comoediae, in quibus exsultabat effrena illa cavillandi civiumque deridendorum libido. Eandem amaritudinem similemque vim praeterea spirabant, non modo dramatica poësis, sed etiam didactica (ut Simonidis Amorgini poëma de mulierum moribus, Silli cett.) et iambica (ut Archilochi, quem, ut inquit Horatius Ep. II, 3, 79: «proprio rabies armavit iambo» et Hipponactis, inventoris versus iambici scazontis, quem aculeis carminum quosdam ad laqueos compulisse, traditum esse scribit Plinius 36. 5; quod etiam de Archilocho testatur, praeter alios, Horat. Epod. 6, 13 et Ep. I, 19, 25).

Verum si hoc concedimus, non damus quoque cetera, neque facimus cum Labittio [1]), qui cum animadverterit elementum, ut aiunt, satiricum, nunquam a graecis litteris abfuisse, in hanc abit conclusionem: «Voilá, comment s'explique le mot souvent cité de Quintilien: *satira tota nostra est*, qui est une petite vanité de critique national, et celui d'Horace: *Graecis intactum carmen*, qui me semble une de ces grosses exagérations, qui se permettent les poètes sous prétext de donner du relief à leurs idées».

Haec nobis ansam praebent ad alteram controversiae partem gradum faciendi; hactenus enim vidimus, recte Horatium sensisse cum satiram totam Romanis adiudicaverit; et hanc sententiam non solum cum testimoniis grammaticorum conspirare, sed etiam, Romanorum indole perspecta et exposita, fieri non potuisse quin satira ullo alio loco nisi Romae oriretur, pro viribus demonstrare sumus conati [2]). Sed haec est

---

1) Revue des deux Mondes. La Satire et la Comédie à Rome. l. cit.

2) Satiram totam esse Romanorum ea quoque de causa, quod eius color, eius materia ingenio romano nunquam repugnet, recte scribit Bähr. (Gesch. d. röm. Lit. 1868, p. 541): «Wir haben hier eine Poësie wel-

tantum una pars, i. e. *adfirmativa* nostrae argumentationis; transeuntes nunc ad *negativam*, videbimus in errore versari, qui satiram latinam a Graecia derivatam volunt eamque vel ex dramate satyrico, vel ex vetere comoedia, vel ex iambis, vel denique ex sillis petitam dictitant. Non multis quidem verbis hanc rem absolverimus, cum oblique iam pertractata in rebus supra expositis contineatur.

Quod ad Graecorum drama satyricum spectat, nullam esse necessitudinem huic poëtico generi cum satira romana, iam demonstravit Casaubonus (op. cit.), et huic quaestioni ab eo finem impositum fuisse, iam superius monuimus. Hoc adfinitatis vinculum (quantum saltem ad vocabuli originem pertinet) indicasse videtur illa trita satirae romanae definitio, a Diomede (482. Putsch.) allata, qui inter varia etyma hoc quoque proponit: «Satira..... dicta sive a satyris, quia similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae velut a satyris proferuntur et fiunt, sive cett.». Euanthius [1]) contra non ut Diomedes facit, qui diversas sententias profert neque ullam admittit, sed aperte satiram romanam a satyris dictam contendit et ceteros alias opiniones sequentes errare putat. Eius verba sunt haec: «Satyra a satyris, quos illotos semper et petulantes deos scimus esse, vocitata est, etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii». Quamvis in his aliorumque definitionibus nil aperte significetur, quo origo satirae romanae a dramate satyrico trahatur, tamen illos grammaticos id significare voluisse argui potest [2]), cum constet, satyricum

---

che auf römischen Boden entsprossen, nur im Allgemeinen die Einflüsse der griechischen Bildung und Cultur an sich erfahren hat und auch in ihrer weiteren Entwikelung den römischen Charakter nicht verläugnen kann».

1) De trag. et com. p. LX Ed. Lindenbrochii.

2) Cfr. quae disputavit Vulpius (in opella, cui est inscriptio: Liber de sat. lat. nat. et rat. Patavii 1745): «Una (sententia) est, eam (satyram) a satyris, diis agrestibus et petulantibus, vocatam fuisse; *tunc quodammodo similis esset satyricae Graecorum poësi*».

δρᾶμα Graecorum accessionem quandam tragoediae et tamquam πάρεργον, hoc nomen accepisse a satyris, quos deos induxit loquentes, quorum figura turpis ac ridicula, morum lascivia et protervitas risui movendo comparata fuerunt. (Cfr. Vulpius op. cit.).

In defendenda sententia, qua satira romana a dramate satyrico Graecorum derivatur, princeps exstitit Iul. Caes. Scaliger, quam secuti sunt Flögelius, Blankenburgius aliique pauci. Eius verba exstant in Poët. cap. XIV: «Falluntur qui putant satyram esse latinam totam. A Graecis enim et inchoata et perfecta primum. A Latinis deinde accepta atque extra scenam exculta. Quamobrem non a satura vel lance vel lege dicta est, ut *frustra ac temere dicunt* grammatici..... Quin has (satyras) a *satyris* dictas puto».

Sed hanc sententiam, ut supra monuimus, iam valide explosit Casaubonus (op. cit.), qui tamen dum vitavit Scyllam, incidit in Carybdim; nam dum recte, nullam, ne in nomine quidem, necessitudinem inter satiram latinam et poësim satyricam Graecorum intercedere demonstravit, falsam, nostro iudicio, aliam sequitur sententiam, cum latinam satiram cum Sillis comparet. Sed de his inferius. Casaubonum secuti sunt Spanhemius, Rambachius, Rigaltius, Dacierius, Manso, König., alii. Verum omnes fere recentiores viros doctos in eo consentire constat, non modo hoc carminis genus, sed etiam nomen eius, Romanorum proprium fuisse neque a Graecis profectum [1]).

---

1) Hinc etiam variam huius nominis scripturam esse ortam, iam alibi diximus; sed res, quippe quae arcte cum nostro proposito cohaereat, amplius est pertractanda.

Qui vocem hanc a *satyris* Graecorum deducunt, eam per *y* scribunt: qui autem hoc vocabulum a latino sermone repetunt, id per *u* vel *i* scribi iubent. (Quod idem est ; *u* enim phoneticis, quae dicuntur, legibus in *i* saepe abit, ut scribitur *maximus* pro archaico «*maxumus*», *optimus* pro «*optumus*» et quae similia sunt; ut, ex contrario, *monumentum* pro «*monimentum*»). Hanc scripturam, quam sequimur, propriam et genuinam

Nunc autem, ne actam rem agere videamur, per summa capita, ut dicitur, duo potissimum argumenta adferemus, quibus Casaubonus sententiam Scaligeri refellit. Primum

---

esse, videmur nos vere posse contendere, quamquam omnes fere veteres grammaticos, soni forsitan similitudine vocis graecae, quae est « σάτυρος » adductos, formâ per *y* scriptâ usos esse constat

Et re quidem vera scripturam per *u* vel *i* solam vero vocabuli etymo respondere, nunc consentiunt inter se viri docti (conferantur L. Mueller. op. cit.; Schütz. in Horatio suo, alii). Satura enim (quae primum erat adiectivum, cui vel *lanx* vel *res* vel aliquid simile supplendum sit - cfr. Hermann. Elem. doctr. metr. 1816, p. 613) ita est dicta a *saturitate* sive abundantia et significat rerum variarum permistionem et quasi farraginem. Quomodo vero vox « *satira* » a graeco vocabulo, quod est « σάτυρος » repeti potest, adeo ut satira ad exemplum satyrorum graecorum instituta sit? Ut mittamus, quod a « σάτυρος » rectius *satyrica* quam *satyra* deduci videtur (Casaubono iudice; non est enim etymon, quod proponit Vulpius, admittendum, satyram esse dictam a « Σάτυρος » mutato genere, scilicet eo pacto, quo Graeci dicunt ὁ χάρτης, Latini *charta*), animadvertat benevolus lector, satirae usum iam multo ante tempora Livii Andronici obtinuisse apud Romanos, teste, praeter alios, Livio VII, 2. Id temporis satira, admodum rudis et agrestis, ridiculariis et quisquiliis omnis generis gaudens, non poterat quidem ad imitationem dramatis satyrici efficta esse; imitatio enim Graecorum, eversa demum Corintho, Romae incipit.

Grammaticorum criticorumque veterum testimonia, quibus rectum nostro iudicio etymon tueri possumus, haec sunt:

Diom. p. 483 Putsch.: « Satira..... sive a satura lance, quae referta variis mu.tisque primitiis in sacro apud priscos diis inferebatur, vel a copia et saturitate rei satira vocabatur...., (Hic Diomedes cita t locos apud Verg. in Georgicis), sive a quodam genere farciminis, quod multis rebus refertum satiram dicit Varro vocitatam..... Alii autem dictam putant a lege satura, quae uno rogatu multa simul comprehendat, quod scilicet et satira carmina multa simul et poëmata comprehenduntur..... »

Isid. Origg. VIII, 7, 8: « Satyrici (satirici) autem dicuntur sive quod pleni sunt omni facundia, sive a saturitate et copia.... seu ab illa lance, quae diversis frugum vel pomorum generibus ad templa Gentilium solebat deferri ».

Acr. ad Horat. S. I, 1: « Satira dicitur lancis genus, tractum a choro

satyrica Graecorum poësis tota δραματική, satira, ut plurimum, διηγηματική; deinde cum differentia specifica, uti aiunt, satyricae poësis sit chorus Satyrorum saltantium et

---

Liberi patris, qui est dator vini et laetitiae; ab ea autem lance, quae plena diversis frugibus in templum Cereris inferebatur, nomen accepisse plerique dicunt. Alii propterea hoc carmen satiram appellarunt, quia ita multis et variis rebus refertum est, ut nimio plus audientes saturet ».

Locus in Vita Persii. Ed. Iahn. p. 241 : « Satira dicitur quae variis rebus continetur..... Dicta autem satira a saturitate et quod plena sit conviciis et reprehensionibus hominum ».

Paul. Diac. p. 315 M. : « Satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum et lex multis aliis conferta legibus et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur ».

Philox. Gloss. : « Satira, νόμος πολλὰ περιέχων ». Cfr. praeterea Isid. Origg. V. 16: « Satira vero lex, quae de pluribus simul rebus eloquitur, dicta a copia rerum et quasi a saturitate; unde et satiras scribere est varia poëmata condere, ut Horatii, Iuvenalis et Persii »

Omnes, quas attulimus, satirae definitiones varietatem et mistionem huius poësis generis significant et optime ad quatuor satirae aetates, in quas eius historiam divisimus, (ne quartâ quidem, aliqua ex parte, exceptâ), quadrare videntur. Etenim: I. Cum satira carmen extemporale, incultum et rusticum est, eius varietas argui potest ex lance satura, variis fructibus referta, quae in honorem Bacchi et Cereris in sacris ponebatur, et a qua primum ob rei similitudinem nomen duxisse credimus. II. Cum satira fit scaenica, varietas eius a Livio VII. 2, praeter alios, significatur, cum memoret *saturas impletas modis* et testetur, Livium Andronicum *primum ausum esse argumento fabulam serere*, et postea iuventutem romanam, cum ludus in artem vertisset, non passam esse, satiram ab histrionibus pollui, ipsamque *more antiquo* ridicularia omnis generis inter se iactitare coepisse. Hanc autem satiram antiquissimae vocabuli significationi prorsus respondere ex eo quoque arguitur, quod illa verborum, cantus et saltationis coniunctio (quae tria omnia antea erant seiuncta et tum primum in unum consociata), tamquam diversarum frugum in satura lance populo imaginem praebebat (cfr. Munk. de fabb. Atell. Lips. 1840, pag. 15). III. Cum satira extra scaenam ab Ennio excolitur, id est, lectoribus non auditoribus dicata (cfr. Vahlen. l. l.), haec satirae varietas non evanescit, immo vero augetur, cum non varietas tantum rerum sed multiplicis etiam generis versuum mistio in ea occurrat. Immo hanc utique ob causam En-

iocos serentium, nil huius simile est in satiris. His duobus argumentis et tertium, ni fallimur, adici potest: satyri potius petulantiam et dicacitatem significant neque id sibi pro-

---

nium sua carmina *saturas* appellasse constat. Id probant, praeter alios, apud Diomedem et Quintilianum loci. Quorum prior scribit: « Satira dicitur carmen....; at olim carmen, quod ex *variis poëmatibus* constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et *Ennius*». (482, Putsch.). Quintilianus Inst. Or. X, 1,95 distinguit diserte a satira Lucilii, Horatii et Persii, *alterum* et quidem *prius satirae genus*, quod oblique velut *sola carminum varietate mixtum* indicat, cum de M. Terentio Varrone loquatur, qui condiderit « genus satirae, sed *non sola* carminum varietate mixtum». (Varro enim metrorum cum soluto numeris sermone coniunctorum varietate usus est, quod Ennius non fecit.). Auctorem *illius prioris satirae generis* Ennium esse intellegendum, res est in aperto. (cfr. Krüger. Horatius. Vorerinnerungen über den Ursprung und das Wesen der röm. Satire. Leipz 1882 p. 4. cfr. etiam Hermann, l. l.). Verbis autem « *sola carminum varietate* » non tantum metri sed etiam argumenti varietatem respexisse Quintilianum, ex Diomedis loco nuper laudato erui potest, qui diserte carmina et poëmata secrevit. Quare « non formam unice sed etiam materiam hîc spectari » oportet concludamus cum Van Heusde (Studia critica cett. p. 282) IV. Cum satira nova, id est, Luciliana oritur, varietas illa metrorum et argumentorum non evanescit, sed manent et in Luciliana et in posteriore prioris satirae vestigia. Etsi enim Lucilius uno, maxima ex parte, versuum metro, h. e. heroico (quod posteriores satirici Horatius, Persius et Iuvenalis unicum admiserunt), usus sit et, satirae materiâ intra certos fines coërcitâ, ad carpenda vitia hominum potissimum incubuerit, tamen et in aliquot libris varia metra (iambica, trochaica cett.) usurpavit et eas res interdum pertractavit, quae non ad solam morum castigationem pertinerent; ut cum de grammatica, de orthographia, de arte poëtica et quae sunt similia, disseruit. Horatius quoque nonnullas satiras conscripsit, in quibus illud consilium, quod etiam nunc esse satirarum constat, prorsus deest; ut in satira quinta libri primi, ubi poëta, ad exemplum Lucilii, iter quoddam describit. Cfr. etiam S. II, 6. Accedant denique, ut nostrae sententiae omnino satisfaciamus, verba quae Iuvenalis (qui ultimus ex quatuor novae satirae praecipuis scriptoribus exstitit) de suae satirae ratione scripsit: «Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, Gaudia, discursus nostri *farrago* libelli est ». (S. I, 85). Cfr. praeterea loc. sup. allat. apud Isidorum Origg. V, 16: « Satiras scribere est varia poëmata condere, ut *Horatii, Iuvenalis et Persii* ».

ponunt, ut mores corrigant, sed potius, ut risum excitent, adlaborant; morum contra castigatio est finis satirae proprius et praecipuus [1]). Denique, ne plura verba faciamus, compara sis Lucilii, Horatii, Persii et Iuvenalis satirarum libros cum Euripidis Cyclope (quod unum, ut iam diximus, est documentum, quod exstat, Graecorum dramatis satyrici), et statim pravitatem illius sententiae agnosces.

Neque rectius sentire videntur qui satiram latinam a Sillis Graecorum ortam volunt [2]). Haec vox sive a Silenis, Bacchi comitibus et conviciis ob lasciviam gaudentibus, dicitur, ut Vulpius (op. cit.) contendit, sive rectius a σιλλαίνειν, quod est satyrice illudere ac ridere, derivatur, ut docet Eustathius (ad Hom. Il. VIII) et Rupertius (in praefat. Iuven. Satir.) defendit, significat carmen quidem dicax et maledicum, quo scribendi genere floruerunt antiquis temporibus Xenophanes, Timon Phliasius; sed nihil in eo est, aut saltem fere nihil, quod cum nova seu luciliana satira (de hac enim tantum sermo est) conferri possit. In paucis, quae

---

Igitur nostro iure adfirmare possumus, satiram, etiam si etymon vocabuli spectetur, totam esse Romanam et Graecis intactam, cum non a « *satyris* » sed ab adiectivo « *satur*, *a*, *um*, » derivetur.

Ad lectoris risum tantum promovendum, etymon adferimus, quod vir quidam (non profecto doctus), Ioannes Scoppa, a Vossio (Etym. ling. lat.) allatus, proponit: qui ea de causa quod poëtae satirici improbos homines carpant et flagellent, vocem, quae est « satira » ex *sal* et *ira* conflatam ait.

1) De hac re bene scribit König. (op. cit. p. 24): « Genus hoc carpendi alios et ridendi verbisque mordacibus incessendi nusquam Graeci verbo aliquo, a Satyris petito, insigniverunt, sed aliis potius nominibus usi sunt, σκόπτειν, διασύρειν, κωμῳδεῖν, ἰαμβίζειν, ἐφυβρίζειν, ipsumque σατυρίζειν de lascivia petulanter se exserente, non de mordacitate et subsannatione, acceperunt, atque τοῦ παίζειν (NB. drama satyricum appellabatur quoque a Graecis παίζουσα τραγῳδία) vis et significatio, quod satyrorum proprium esse dicitur, de petulanti eorum saltatione, potius quam de dicacitate in alios se exserente, interpretandum est. cett.».

2) Cfr. Heinsius. De sat. horat. p. 31 et 134; Lange Vindic. trag. rom pag. 34.

supersunt, Sillorum vestigiis, parodiae nota adparet. Differebant igitur argumento eiusque tractandi consilio a satira romana, quod ad solos vel philosophos vel poëtas eorumque errores, non ad vitae cotidianae mores horumque emendationem spectabant. Qui igitur lucilianam satiram ad hoc parodiarum genus referendam esse arbitrati sunt [1]), non claram notionem satirae lucilianae et poësis parodicae habere videntur. Parodia est forma artis senescentis (ut bene scribit Hermannus op. cit.), quae cum ipsa nihil iam procreare possit, alienorum carminum inversione suae hebetudini succurrit [2]). Quod si recte disputatum est, nemo est quin videat, quam distet poësis parodica cum a satira in universum, cuius indolem apprime describit Iuvenalis, cum ait: «facit indignatio versum», tum a Lucilii satira, quem poëtam maximae festivitatis mentisque vigoris et, ut apto gallico vocabulo utamur, summae «verve»

---

1) Cfr. Heinsius. De sat. horat. p. 134: «Proxime autem ad Sillos accessisse Lucilium certissimum est, qui ut graeca plurima immiscuit, ita quin alio versus homericos lepide detorserit, non est dubitandum».

Casaub. op. cit. p. 219: «Non cum illa Graecorum poësi latina satira componi debuit, sed cum eorundem Sillis, quod genus carminis ex omni Graecorum poësi plurima cum ista romana satira communia habere affirmamus nos. Narrativum utrumque vel certe mixtum, utrumque vehemens in obiurgatione..., utrumque plenum cachinnorum, quod et nomen ipsum Sillorum indicat».

Lange, vind. Trag. Rom. p. 34: «Sed haud iniuria inter παρῳδοὺς tragicorum referri existimo Lucilium, satirarum scriptorem».

Cfr. denique Gerlach., qui in Prolegg. ad Luc. Satir. Reliq., parodiae exemplum in lucilianis satiris laudat librum primum, ubi deorum concilium describitur; quod sit παρῳδία illius deorum concilii apud Homerum (Od. I, 22), a Iove, absente Neptuno, de reditu Ulyssis, instituti.

2) Conferatur pulcherrima, quam Moserus prodit, parodiae definitio: «Sie wird mit Absicht angelegt und durchgeführt und ist nothwendig Product des Gedächtnisses..... entblösst von der Begeisterung, die den ächten Dichter nie verlassen darf.» (Ueber die parodische Poësie der Griechen, V. Kreuzeri Studien T. VI, p. 269).

fuisse omnes consentiunt [1]). Quid plura? Num potest τῶν παρῳδῶν numero adscribi Lucilius, quem vituperavit Horatius, quod flueret lutulentus et in hora saepe ducentos versus maxima cum facilitate funderet? Nonne id argumentum gravissimum, quo probatur, Lucilium omnia ex se petiisse, omnia in eo ex ipsius ingenio esse prognata? Quod si quis obiciat Gellii narrationem (N. A. XVII, 21), in qua Lucilium ceterorum poëtarum carmina obtrectasse ait, id non plus probare quam quod apud Horatium legimus, eum « versus Ennii gravitate minores risisse», apposite observat Hermannus, scilicet (ut huius viri docti verba nostra faciamus) «summae libertatis exactique iudicii hominem cum universa aequalium vitia sibi exagitanda proposuisset, ne ei quidem generi pepercisse, in quo se ipsum aliquid posse intelligeret». Cfr. etiam Petermann. De Lucilii vita et carminibus. Vratisl. 1842. p. 17 et seqq. Ceterum ut Lucilius superiores et aequales poëtas, Ennium, Pacuvium, Accium, Terentium carpserat, haud dissimiliter Horatius plurimus fuit in antiquiorum poëtarum vitiis declarandis et pravis aequalium iudiciis de poësis rationibus corrigendis.

Accedit, quod Sillorum scriptores nunquam aequales arri-

---

1) Cfr. ad hanc rem quod attinet, nonnulla iudicia, quae de Lucilio protulerunt veteres: Pers. S. I, 114: « Secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te, Muci, et genuinum fregit in illis». Horat S. I, 10,3-4: «Sale multo Urbem defricuit». Id. S. II. 1,69: « Primores populi arripuit populumque tributim». Iuv. S. I, 165 seqq.: « Ense velut stricto quotiens Lucilius ardens Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est Criminibus, tacita sudant praecordia culpa. Inde irae et lacrimae». Quint. Inst. Or. X, 1,93: « Eruditio in eo mira et libertas, atque inde acerbitas et abunde salis». Ad Lucilii ingenium eiusque satirae indolem commonstrandam, maxime etiam confert quod tradit Schol. de Persio, qui post lectum librum decimum Lucilii, ad satiras scribendas impulsus fuerit. Quod quidem praecipue ad satiram primam, non ad ceteras spectare, manifestum est. Ibi enim poëta primum se ipsum, deinde poëtas et oratores illius aetatis ipsumque Neronem carpit. Ceteras autem Persii satiras disputationes potius ad Stoicorum philosophiam informatas, esse constat.

puerunt: qua re contra Lucilium praecipue ceterosque poëtas satiricos plus minus viguisse constat.

Neque verisimilior est illa cognatio, quam nonnulli in satira latina cum iambis Graecorum reperire voluerunt [1]). Non est infitiandum, speciosam quandam, si res leviter tantum consideretur, adfinitatem exstare inter haec duo genera; in utroque enim est magna cavillatio et maledicentia (quod, quantum ad iambos spectat, verbum ipsum ἰαμβίζειν significat). Sed, si res accuratius inspiciatur, tanta differentia exhibebitur, ut mirum sit, nonnullos exstitisse, qui contenderint, satiram romanam ex iambis fuisse petitam. Ut praetermittamus metri mutationem, quae non magni quidem est momenti ad differentiam inter duo genera definiendam (si Aristoteli fidem habere volumus), quaerimus: Quid sibi proponunt iambographi, quid satirici? Non est dubium, quin illi inter privata odia semper consistant, non vitia et vitiosos homines, ut satirici agunt, carpant, sed inimicos vel sibi infensos lacerent; quae res, si ex paucis, quae aetatem tulerunt, fragmentis colligi tantum potest et argui, tamen et famâ et scriptorum testimoniis, qui multa de Archilochi Hipponactisque odiis prodiderunt, fit manifesta (cfr. Hermann. op. cit.). Genera haec igitur admodum inter se diversa sunt, quod iambographi *methodum*, quae dicitur, *personalem*, *subiectivam*, satirici vero *realem*, *obiectivam* sequuntur. Hac de causa iambi generi poësis lyrico, a quo toto caelo distat satira, recte adscribitur (cfr. Bähr. Gesch. der röm. Lit. 1868 p. 36). Quod si perspicuum exemplum discriminis inter satiram latinam et iambos Graecorum nobis ob oculos ponere volumus, Quintiliani auctoritatem adferre possumus, qui Horatium epodum librum ad Archilochi imitationem exarasse testatur; non iniuriâ igitur hinc effici posse videtur, inter satiram lucilianam Graecorumque iambos illud discrimen intercedere, quod sit

1) Cfr. Bernhardy., Grundriss der röm. Liter. §§ 92, qui Lucilium Italorum Archilochum appellat; alii.

inter Horatii epodos eiusque sermones. Horatius ipse ea carmina non epodos, quod nomen a posterioribus grammaticis iis inditum fuit, sed iambos appellat. Cfr. Epod. XIV. 7; Od. I, 16, 24; Ep. I, 19, 23. Cfr. de hac re Düntzer. Horat. Sat. p. 22, qui et ipse a comparatione satirae cum iambis alienus est [1]).

Nunc reliquum est ut de ea similitudine, quae falso sumitur, inter satiram latinam et veterem comoediam Atticorum, pauca dicamus eorumque sententiam pro viribus nostris refellere conemur, qui contendunt, satiricos latinos non nisi veterum Athenarum comicorum pedisequos fuisse.

Hanc sententiam, praeter ceteros iam alibi laudatos [2]), defendit, inter recentiores, Dziadeckius, qui libellum in vulgus emisit, cuius haec est inscriptio: «Satira Romanorum in

---

1) His omnibus, quae disputavimus de hac quaestione, non obstant Diomedis verba (Gramm. III p. 482), qui de iambico carmine disserens, huius praecipuos scriptores nominat apud Graecos Archilochum et Hipponactem, apud Romanos *Lucilium*, Catullum, Horatium et Bibaculum. Ut hîc diserte in iambographorum, alibi in satirarum scriptorum numerum non minus aperte, ut vidimus supra, refert Lucilium Diomedes. Hoc fecit, nisi fallimur, quod tum in iambis tum in satiris aliquid commune esse, nuper animadvertimus, id est, *maledicentiam* illam, quam in utroque genere Diomedes ipse notat, cum utrumque genus definiat *carmen maledicum*. Insuper constat et Lucilium satiris suis iambos inseruisse; igitur hanc quoque ob causam a Diomede Lucilium ad iambographorum numerum adscriptum fuisse putamus.

Etiam Apuleius, De Mag. 10. Cfr. Dousa, p. 112, iisdem, ut opinamur, rationibus adductus *iambicum* poëtam dixit Lucilium. Praeterea (et hoc quidem aliquid ponderis habet) Quintilianus, Inst. Or. X, 2, de iambis scribens, quod genus non proprium Romanorum opus, ut satiram, celebrat, sed peregrinum dicit, Lucilium silentio praeterit.

2) Labitte, in gallicis ephemeridibus «Revue des deux Mondes» l. l.; Καστόρχης in graecis ephemeridibus « Ἀθήναιον » l. l.

L. Muellerus in Lucilio suo, quamvis confiteatur, memoriam nullam huius imitationis reperiri in reliquiis satirarum Lucilii, pugnantia inter se aut inepta tradit, cum proxime scribat « sibi non videri dubium, quin Lucilius hanc imitationem in operibus suis professus sit ».

primis Luciliana antiquae comoediae Graecorum non dissimilis. Conitz, 1832».

Omnia et singula nimis anxie studioseque persequi, non nobis est in animo, quod «la via lunga ne sospinge»: satis fuerit causas, cur haec similitudo et comparatio inter utrumque genus instituta sit, inquirere et pravitatem illius sententiae demonstrare, adeo ut hac quoque ex parte satiram latinam carmen intactum Graecis fuisse recteque ideo iudicasse Horatium, liqueat.

Multae quidem similitudinis notae inter comoediam et satiram reperiri possunt: utraque enim, ut iam dixerat Horatius S. I, 4, 42 seqq. lingua *sermoni propiore* [1]) utitur et illo *spiritu acri et vi caret*, quae *os magna sonaturum* veri poëtae deceat, ac v. 63 ipse dubitare videtur, an comoedia, quam cum satira comparationis causâ nominat, iustum sit poëma necne, ideoque comicus vel satiricus vere poëta dici possit. Deinde utrumque genus res sumit ex vita cotidiana et ad id intendit, ut deridendo et flagellando hominum vitia emendet. Alia similitudo haec est, quod, quantum ad formam spectat, etiam in satira diverbia occurrunt, quod fit manifestum si Lucilii fragmenta et Horatii sermones, praesertim in libro II.°, inspicias [2]). Neque desunt in satiris ingeniosissimae et saepe inopinatae transitiones, quae comicam quandam vim habere videntur et gra-

---

1) Cum Rupertius animadvertisset «Horatii versus in satiris fluere inlaboratos et sine arte et studio scriptos videri» eos *videri* solummodo sine arte et studio scriptos esse, optime Kirchnerus (Sat. edit.) demonstravit. Constat enim sic egisse Horatium, quo propius, comicorum more, ad communem sermonem accederet et hunc vividius veriusque redderet. Scite enim atque elegantissime heroico numero uti haud ignorare Horatium, testimonio sunt Epistolarum libri.

2) Hunc diverbiorum usum, quo nihil est in satira nova frequentius, non ex antiqua Graecorum comoedia fuisse petitum, sed veteris Romanorum saturae scaenicae vestigia indicare, iam alibi contendimus. Conferatur de hac re opella «Q. Horatius Flaccus. Eine litterarhistorische Bio-

tissimae sunt. Sed haec omnia, ut perspicuum fore confidimus, non pertinent ad originem satirae lucilianae a prisca Atticorum comoedia comprobandam; verum, alia ex parte, cum res ita se habeat, mirum non est, quod inde a quarto saeculo nonnulli grammatici passim Lucilium inter comoediarum scriptores rettulerunt (cfr. Mueller. in edit. Luc. De hac re pauca mox infra dicemus).

Quod si quis nobis obiciat locos apud Diomedem 482 Putsch., ubi genus satirae, quo Lucilius floruit, *archaeae comoediae charactere compositum* declaratur, et apud Horat. S. I, 4, 5, ubi Lucilius veteres Atticorum poëtas comicos secutus esse dicitur, iam superius, quid de his locis sentiamus atque statuamus, exposuimus, (quibus etiam versus Pers. I, 123 seqq., adici possunt, ubi poëta eum sibi lectorem expetit, qui audaci Cratino afflatus iratum Eupolidem praegrandi cum Aristophane palleat) scilicet non de origine satirae ab archaea comoedia, non de imitatione Graecorum, quam poëtae latini satirici professi sint, cogitandum esse, sed

---

graphie. Leip. 1880» a L. Muellero conscripta, qui hanc utique ob causam, quod etiam in epistolis, non minus quam in satiris, formam διαλογικήν nonnunquam adhibuerit, Horatium utrasque *sermones* appellasse ait. Immo eo progreditur, ut contendat, satiram latinam antiquae deperditae Romanorum comoediae, togatarum praecipue et atellanarum, quasi compensationem haberi posse. De qua re iam prius optime disputaverat Labittius in citatis ephemeridibus (Revue des deux Mondes, l. l.), qui satiram et comoediam arctiore quodam vinculo inter se coniunctas et quasi historiae supplementum esse demonstrat. Lubet nonnulla eius verba apponere: «Toutes deux (i. e. comoedia et satira) elles ont pour objet la peinture de la vie..; l'action intervient un peu dans la satire, au même titre que l'ironie intervient dans toute fable comique.....; les écrivains comiques et satiriques sont un renseignement complémentaire, le supplément naturel des annalistes.....; je ne veux pas dire assurément que la Rome des derniers siècles républicains ne se trouve point au vrai dans Salluste; je prétends seulement, qu'elle n'y est pas toute entière, et qu'il en faut demander aussi l'expressive peinture au vieux théâtre de Plaute et aux trop rares débris de la satire de Lucile».

de indole in universum et de colore, ut ita dicamus, qui sit communis tum priscae Atticorum comoediae, tum satirae latinae, h. e., de liberrima illa reprehensione hominum vitiosorum [1]).

Hic mentionem nobis esse faciendam censemus loci apud Joann. Laur. Lydum «de mag. rom. I, 41, qui statuit, Lucilium Rhinthonis comoedias expressisse: Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήρον καὶ Βλέσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητὰς καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν. ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε [2])».

---

1) Iahnus (in Prolegg. ad Pers. Sat. 1843) contendit, Lucilium ab antiqua Graecorum comoedia hausisse potissimum « quidquid artis perfectioris et elegantiae ad rude Romanorum carmen expoliendum apportavit, *quamquam multis aliis rebus et totius generis forma multum diversum* ».

2) Agitur hic de hilarotragoedia vel aliter dicta φλυακογραφία, ab auctore Rhinthone, cui fertur cognomen fuisse φλύαξ seu nugator. Huius generis argumenta a tragoediis petebantur et, cothurno in soccum detorto, parodiae speciem prae se ferre videbantur (cfr. Van Heusde op. cit. p. 301). Tametsi de hac hilarotragoedia parum constat inter viros doctos, tamen procul omni dubio παρῳδοὺς fuisse phlyacographos testatur etiam Osann. Anall. critt. Berol. 1816 p. 74. Qui in origine satirae latinae explicanda ad hanc Rhinthonicarum fabularum similitudinem descenderunt, cum has heroico metro conscriptas reperissent, etiam metri discrepantiam (quam iam notavit Horatius S. 1, 4, 5) hoc modo auferre putarunt. Agitur enim, ut res est in promptu, de *dactylicis* versibus hexametris, non de *iambicis*. Prave igitur sentire Reuvens. (Collec. litter. Lugd. Bat. 1815. p. 84) credimus, qui hoc Lydi loco versus iambicos mavult intellegere. Omittimus crebriorem dactylicorum usum, quos vocabulum ἑξάμετρος per se solum significat, omittimus sequentia «ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν» quae comparationis causâ praecedentibus « ἑξαμέτροις» respondent; sed quis ignorat, versus iambicos διποδίαις potius quam singulis pedibus (ex quorum unoquoque metrum efficiatur) metiri solitos esse grammaticos? Versus igitur iambicus ex sex pedibus constans rectius *trimeter* quam *hexameter* dicitur.

De hac quaestione, i. e de Rhinthonis comoedia hexametrica, quam,

Si quis hunc locum ad nostram sententiam oppugnandam adferat, eius obiectionem specie potius quam re gravem esse opinamur. Ut praetermittamus, nonnullos viros doctos recte forsitan contendere, ea verba foede adulterata esse et miserrimam in iis nominis mutationem et confusionem exstitisse [1]), cum nemo unquam, praeter Lydum, adfirmaverit, comoedias Lucilium scripsisse, illud tantum animadverti iubemus, verbis, quae sunt «κωμῳδία» et «κωμῳδεῖν» latiorem quandam significationem inesse eorumque usum liberiorem fuisse (cfr. Meineckii Hist. crit. com. graec. p. 527), unde apud seriorum temporum grammaticos, quibus nos utimur, praesertim ubi Romanae litterae cum Graecis componuntur, summa confusio orta sit (cfr. Jahn, in praefat. Pers. Sat.). Recte igitur scribere nobis videtur Hermannus (op. cit.), «illam satirae cum comoedia comparationem ex linguae graecae ambiguitate repeti posse, quae et fabularum actionem et quamlibet exagitationem cum ludibrio coniunctam eodem verbo «κωμῳδεῖν» appellaret» [2]). Quod idem fere significare ac verbum «ἰαμβίζειν» «i. e. «*poëtae comici more* perstringere et vituperare» coll. Steph. Thes. s. v. κωμῳδεῖν, recte adnotat Beckerus in «Philologus» IV. p. 86.

---

teste Lydo, Lucilius secutus sit, pauca hoc loco, potiusquam ubi de Sillis est sermo, tangere voluimus, cum de genere comico agatur. De hac re Cfr. Osann. Anall. critt. p. 69 seqq.; van Heusde, Studia critica in C. Luc. p. 300 seqq.; Petermann, Ueber Ursprung und Begriff der röm. Sat. p. 19; Hermann. op. cit. p. 31. C. O. Mueller. Dorier, II, 364.

1) Cfr. Teuffel. Geschichte der röm. Liter. Leipz. 1880 p. 225. Ceterum videsis locos apud Euanthium et Isidorum inf. cit.

2) Euanthius quoque, De trag. et Com. p. LX Ed. Lindenb. cum de satira luciliana loquatur, eam «τὴν νέαν κωμῳδίαν», hoc est, novam comoediam, appellare videtur. Cfr. denique quae scripsit. Isidor. Or. VIII, 7. 7: «Duo sunt genera *comicorum*, i. e. veteres et novi, veteres ut Plautus, Accius, Terentius, novi, *qui et satyrici*, a quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Juvenalis et alii».

Ceterum tot tantaeque sunt inter haec duo genera discriminis notae, ut nullo quidem pacto Graecorum comoedia procreatrix et quasi parens satirae latinae haberi possit. Ut taceamus de metri differentia (quod iambicum in comoediis est, heroicum maximam partem in Lucilii et semper in posteriorum poëtarum satiris) ac de scaenico adparatu [1]), qui ad comoediam tantum pertinet, id potissimum inest discrimen, quod fabulae actio sive eventuum series prorsus deest in satira et contra pars admodum necessaria ac propria comoediae est [2]). Non inepte igitur definitur ab Heinsio satira romana, quae sit «*poësis absque eventuum serie* ad purgandos hominum animos comparata, in qua e. q. s.». Et re quidem vera Satyri Graecorum, Comoedia et Tragoedia eventus amplectuntur complures, qui tamquam membra et partes actionis unius, circa quam fabula versetur, haberi possunt. In satira romana nulla est actio neque illa fortunae commutatio, quam Graeci περιπέτειαν appellant, quaeque Comoediae et Tragoediae vis maxima est. Praeterea, quod ad morum emendationem attinet, satira materiam omnem ridiculi a gravioribus hominum vitiis, quae satiricis salibus perfricata pro bono reipublicae hominumque societatis corrigi possint, repetit; Graecorum contra comoedia cavillandi magis libidine excitata, quam emendandi studio impulsa, non risum sectatur satiricum, sed potius comicum derisum (ita risum a derisu distinxisse Eichstädtium p. 62, iam supra monuimus) et modo fortunas civium, modo corporis deformitates et alia leviora vitia contumeliarum aculeis lacessit.

Altera inter haec duo genera differentia sequatur necesse

---

1) Ita, v. g., veteris Atticorum comoediae, ut tragoediae, chorus est pars praecipua, immo necessaria.

2) V. comparationis causâ Liv. VII. 2, qui recte satiram veterem a ludis scaenicis vel fabulis (saturâ scaenicâ) distinguit, quod hae *argumento serantur*.

est, cum satira lectoribus, comoedia auditoribus sit dicata, si vera scripsit Plinius, Ep. III, 18, 10, «omnes qui placendi causâ scribant, qualia placere viderint, scribere.» Praeterea «comicum poëtam populo scribere, satiricum scriptorem sibi paucisque quos eadem secum sentire sciat» recte quidem animadvertit Hermannus (op. cit.) [1]. Quid plura? Cum inter grammaticos ipsos, qui satiram latinam cum Graecorum comoedia contulerunt, maximus sit dissensus, iure nostro id colligere posse videmur, sententiarum diversitatem ac confusionem rem ipsam falsam aut saltem ambiguam declarare, et hinc effici, ut illud Horatii (quod tam mirifice etiam cum Quintiliani et Diomedis testimoniis convenit), satiram latinam carmen Graecis intactum et poësis romanae proprium ac privum genus esse, in clarissima luce ponatur. Nonne multum ponderis Horatii sententiae est tribuendum, qui, qua erat ingenii acie et litterarum tum romani tum graeci populi eruditione, omnino planeque satiram esse Romanorum propriam ait, cum de ceteris poësis generibus loquens, haec a graeco fonte primum profecta, Romae dein exculta fuisse fatetur? qui, cum depravatos mollesque Graecorum mores a bonis Graecorum artibus et Graecos a Graiis secreverit (cfr. Dillenburg. Horat. Od. II, 4, 12), Romanos Graeciae omnia debere adfirmat? (cfr. Od. I, 26, 10;

---

1) Cfr. insuper Cic. (De Orat. II, 6, 25 coll. cum De Fin. I, 3, 7), qui testatur, Lucilium ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis neque a doctissimis legi voluisse, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse (cfr. Luc. Fragm. XXIX. 99 ed. M.: «Persium non curo legere: Laelium Decumum volo»). Notum est quid de suis lectoribus senserit Horatius, qui ventosae plebis suffragia haud captans et malignum spernere vulgus summam laudem ducens, non quo se turba miraretur, scribebat, sed erat paucis, his vero egregiis, lectoribus contentus (S. I, 10. 74 seqq.), et in se transtulit, quod olim explosa mima dixerat: «satis est equitem mihi plaudere». Ibid. v. 76; etenim in illud Epicuri potissimum discesserat: «Nunquam volui populo placere; nam quae ego scio, non probat populus; quae probat populus, ego nescio». Persius quoque praesagiebat «vel duos vel neminem» satiras suas lecturos.

Od. II, 16, 38; Od. III, 30, 13; Ep. I, 19, 23; Ep. II, 1, 15 seqq. Ep. ad Pis. passim).

Ex iis igitur, quae hactenus ad Horatii sententiam comprobandam exposuimus, liceat nobis concludere, satiram romanam non modo domesticam esse, quia a Romanis primum inventa et exculta, sed etiam, quia in illa, quasi in speculo, vita, ingenium, mores Romanorum mirum in modum expressa reddantur et nihil peregrini admixtum adpareat.

Pergamus nunc ad aliam nostrae disputationis partem. Merito an iniuria Lucilio nomen satirae inventori ab Horatio inditum est? (S. I, 10, 48 et passim,). Vidimus superius, satiram apud Romanos temporis lapsu quatuor species, ut ita loquamur, sumsisse idemque semper nomen servasse, quamvis hae formae aut nullo aut parvo omnino adfinitatis vinculo continerentur, cum essent Romani cum traditarum rerum tum harum nominum tenacissimi. Ultima aetate historicae huius explicationis satirae latinae satiram lucilianam, a posterioribus poëtis sibi ut exemplar sumptam, floruisse diximus, quae id sibi potissimum proposuerit, ut libere vitia hominum carperet moresque castigaret, et novum propriumque genus litterarium procrearit. Cum Horatius de Lucilio satirae inventore loquitur, hanc ultimam satirae speciem ab ipso respici, ex eo quoque manifesto liquet, quod iis verbis utitur poëta, quae ad cetera satirae genera nullo quidem modo detorqueri vel referri possint. Cfr. S. I, 4, 5: « Si quis erat dignus describi . . . *multa cum libertate notabant.*» ib. v. 25: «Sunt quos genus hoc minime iuvat *utpote plures culpari dignos. Quemvis media elige turba*» . . . ; ib. v. 78: «*Laedere gaudes* . . . et hoc studio pravus facis ». . . ; ib. v. 106: «Insuevit pater optimus hoc me *Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.*» S. I, 10, 3: «(Lucilius) *sale multo urbem defricuit*»; S. II, 1, 1: «Sunt quibus *in satiris videor nimis acer et ultra Legem tendere opus*»; ib. v. 28: «Me pedibus delectat claudere verba *Lucili ritu.*» ib. v. 60: «O puer, *ut sis vitalis metuo.* ib. v. 62: «*Est Lucilius au-*

*sus* [1]) *Primus in hunc operis componere carmina morem,*
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis» .... praeter alios locos, qui brevitatis causâ omittuntur.

Si de hoc satirae genere Horatius agit (quod nostro iudicio procul omni dubio est), recte Lucilium inventorem dixit Horatius, eiusque sententia Quintiliani [2]) aliorumque testimoniis comprobatur.

Sed antequam de hac quaestione fusius dicimus, oportet aliam, quae cum ea arctissime cohaeret, expediamus, i. e. quomodo sint intellegenda verba Horatii S. I, 10, 64 seqq:

« .... Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum ... e. q. s.»

Hanc quaestionem separatim, minute et acutissime pertractavit Carolus Fridericus Hermannus libello saepius laudato, Marburgi anno 1841 in lucem edito, cuius est inscriptio: «Disputatio de satirae romanae auctore ex sententia Horatii Serm. I, 10, 66».

Hermannus illud «*auctor*» ad Lucilium rettulit; sed haud ita multo post, eius sententiam refellere conatus est Petermannus, ea opella quam inscripsit: «De satirae romanae auctore eiusque inventore. Hirschberg. 1846», qui in eodem versu Ennium intellexit. Hinc magna lis orta inter viros doctos, cum alii aliam sequerentur sententiam, quae est adhuc sub

---

1) Quamvis illud «ausus» ad genus poëticum referri possit, quasi id sibi voluisset Horatius, Lucilium tantum facinus, i. e., satiras scribere, cum exemplaria graeca in hac litterarum provincia deessent, ausum esse; tamen rectius fortasse de indole carminis cogitetur, cum sit animosi audacisque scriptoris «primores populi populumque tributim» arripere.

2) Cfr. Quint. Inst.Or. X, 1, 93: «in qua (satira) *primus* insignem laudem adeptus est Lucilius».

iudice. Statim ab initio profitemur, nos Hermanni partes [1]) sequi; multis autem argumentis, quae vir ille doctissimus attulit, alia adiciemus, adeo ut veritatem aut saltem probabilitatem nostrae sententiae perspicuam fore confidamus. Sed res est, ut dicitur, ab ovo incipienda.

Quam sententiam Hermannus est secutus et gravissimis rationibus comprobavit, iam veteres Horatii interpretes fuerant complexi. Cfr. Schol. Horatii, quae feruntur, Acronis et Porphyrionis (ed. Franc. Pauly. Pragae 1861) ad hunc locum:

Acron. «Quia primus (Lucilius) satyram graecis intactam versibus hexametris scripsit, etiam *auctor* huius operis est. Antea enim soli comici mores suorum carpebant apud Graecos». «*Auctor*, satyrae; Graeci non scripserunt satyram integram, h. e. heroico carmine, sed miscuerunt cum comoediis [2])».

Eadem fere etiam Porphyrio.

Cfr. insuper Comment. Cruq. ad h. l.: «Sensus est: sit Lucilius limatior quam rudis auctor carminis et intacti Graecis i. e. non usitati et usurpati a Graecis scriptoribus; *nam Lucilius primus invenit satyram*».

Haec igitur tradiderunt antiquissimi interpretes de versibus illis vexatissimis omnesque Lucilium ibi intellexerunt. Eandem sententiam sunt complexi viri illi docti, quos Hermannus

---

1) Hermannus suam sententiam hisce verbis profert: «Lucilium fuisse limatiorem quam pro ea conditione, in qua auctorem rudis Graecisque intacti carminis versari consentaneum fuerit». Placet quoque paraphrasin, quam in hos versus adfert Cerrutius (In Q. Hor. Flacc. cett. Veronae 1585), subiungere: «Demus etiam Lucilium facetum et urbanum fuisse et limatiorem quam auctorem satirae nondum perfectae Graecisque intactae esse oporteat, et quovis seniore poëta expolitiorem».

2) Cfr. etiam Acr. ad Sat. I, 1: «. . . . . Verum tamen sciendum est quod satyrarum carmen a primo omnium «*auctore*» Lucilio repertum est.» Animadvertant lectores, hoc loco, Acronem vocem quae est «*auctor*» non «*inventor*» usurpare. Quod, aut nos fallimur, non parvi ponderis est in quaestione, quam inferius attingemus, de distinguendo auctore ab inventore.

appellat «magna renatarum litterarum lumina», Henrichus Stephanus, Guilelmus Xilander, Dionysius Lambinus; qui quamquam adiectivum, quod est «*rudis*», alii in recto [1]), alii in genitivo casu positum interpretantur, tamen in hoc omnes consentiunt, de Lucilio Horatium locutum esse. Et idem senserunt Orellius (in Horat. suo ad h. v.), Baehrius (Gesch. der röm. Litter. p. 216), Passovius (Ueber das Leben und Zeitalter des Horaz. p. LVIII Lips. 1833), Kirchnerus (in Hor. suo ad h. v.), Heindorfius (Q. Hor. Satiren erklärt. 1815. Breslau. p. 222); cuius verba, quippe quae graphice hanc questionem roponant, pretium est operae referre: «Weder Horaz, noch irgend einer der Alten hat den Ennius als Urheber dieser Satire, als Vorgänger des Lucilius erkannt. Wie könnte auch in demselben Gedichte v. 48 Lucilius, hier Ennius als *inventor* genannt sein? Der Sinn ist: Mag er zugleich sogar geglätteter sein, als er der Schöpfer einer ganz neuen und originalen Gattung ist oder sein kann, «quam pro eo quod auctor fuit rudis et Graecis intacti carminis»; mag er hierin sich als den Erfinder einer noch von Niemand bearbeiteten Gattung selbst übertroffen haben».

Primus ex iis, qui contrariam sententiam secuti Ennium hic interpretati sunt, fuit Ianus Dousa in Comment. p. 664 Ed. Cruq. 1597, qui talem profert interpretationem: «Esto, fuerit, inquam, Lucilius urbanus et comis, demus etiam limatiorem, id est, tersiorem atque emendatiorem fuisse, quam Ennium nostrum, primum illum rudis satirae inventorem, aut etiam secutam seniorum, hoc est, Lucilio antiquiorum poëtarum turbam».

Dousae sententiam multi adprobarunt, quos adfert Hermannus, in primis: Casaubonus [2]) (op. cit.); Bentleyus (ad Ho-

---

1) Id quanam ratione fieri possit, fatemur nos plane ignorare. Quî enim tunc verba: «Fuerit limatior cett.» cum sequentibus apte coniungi queunt?

2) Casaubonus ingeniosius quidem, quam probabilius, conicit «*rudius*»

rat. Ep. II, 2, 80); Gesnerus (Ed. Zeun. p. 415); Wachsmuthius (in Athen. 1816 T. I, p. 321); Bernhardyus (Grundr. der röm. Litter. p. 244); Wielandus, Manso, Rupertius, Petermannus, alii.

Et hisce quoque temporibus miri fuerunt eruditorum de huius loci interpretatione dissensus, aliis Hermanni, aliis Petermanni (hos enim primos de hac quaestione ex professo, fusius et ἀκριβέστερον egisse, iam admonuimus superius) partes sequentibus, aliis denique novam et diversam admodum interpretationem proferentibus. Petermanno assentiuntur: Vahlenus (ed. Enn. p. 83 in Praef.); L. Muellerus (Praefat. ad Horat. p. LX et Luc. Sat. Reliq. p. 295: nec non in: Rheinisches Mus. XXVIII. p. 636-639); Ritterus (Horat. ad. h. v.); Schützius (Horat. ad h. v.); Occioni (Storia della letter. latina. Roma. 1884 p. 62-63); alii. Cum Hermanno faciunt: Teuffel. (Rhein. Mus. XXX p. 623 seqq. et Gesch. der. röm. Liter. Leipz. 1882. §§ 143. Not. 6.); Meineke (Praefat. ad Horat.) Van Heusde (Stud. crit. cett. p. 103); Barkholt. (Horat. de veter. Roman. poët. sent. Warb. 1876 p. 21); Krueger. (Drei Satiren cett. Braunschw. 1850 p. 15); alii.

Nova, quam nonnulli recentes viri docti proposuerunt et acriter defenderunt, interpretatio, haec est: Horatius neque de Ennio neque de Lucilio loquitur, sed de vetere aliquo poëta, qui carmina sua numero saturnio composuerit. Ita sentiunt nonnulli ex novissimis Horatii interpretibus, ut Th. Krueger. (ed. Hor. Leipz. 1882. ed. decima a Gust. Kruegero curata; p. 84); Fritzschius (ad h. v. p. 227), nec non Crainius (Philol. IX p. 575); Ribbeckius (Fleckeisen' s Jahrbb, 77 p. 213); Riese (Varr. Sat. Menipp. p. 5); Dziatzko (Rhein. Mus. 1873, p. 187), qui eo usque procedit, ut ibi intellegat poëtam aliquem ante Livii Andronici tempora, qui sit fortasse auctor carminis saliaris (cfr. Horat. Ep. II, 1, 86). Nipperde-

---

*dius*» pro eo quod est «*rudis et*». Ennium enim Rudiis, Calabriae oppido, natum constat.

yus [1]) denique contendit illum «*auctorem*» esse nullum certum poëtam, «*carmen*» autem, non genus carminis, sed unum aliquod poëma. «Poëta dicit: concedo Lucilium esse limatiorem quam eum, qui condiderit carmen aliquod rude et in quo nulla Graecae artis vestigia insint»; quae iam fere dixerat etiam Meinekius «er sei gefeilter als der Schöpfer einer neuen und von griechischem Einfluss unabhängigen Dichtungsart». Cfr. Nipp. l. l.

Vexatissimam hanc esse quaestionem, res est in aperto; neque facile fore, ut lis aliquando dirimatur, ex eo quoque augurari possumus, quod argumenta, quibus suam quisque defendit sententiam, *subiectiva*, quae dicuntur, magnam partem sunt, neque desunt testimonia vel ex Horatio, vel ex aliis scriptoribus, vel ex ipsa litterarum latinarum historia petita, quibus unaquaeque earum interpretationum plus minus confirmari potest. Nobis, ut iam superius diximus, maxime probatur Hermanni sententia, licet eam «nicht nur gezwungen, sondern ganz undenkbar» appellet Dziatzko (Rhein. Mus. l. l.) eandemque esse «so sonderbar, dass es wunderlich scheint, wie sie Jemand in Ernst hat vorbringen können» adfirmet Lucianus Mueller. (Rhein. Mus. l. l.).

Nunc breviter et summatim in medium adferemus praecipua argumenta, quibus nititur Hermannus ad suam sententiam comprobandam, hisque alia addemus, quae ei suffragari nobis videntur; simulque passim et occasione data (singulas enim obiectiones separate et minutatim confutare, nimis est longum ac non necessarium), oppositas sententias refellere conabimur.

Hermanni argumentis pauca etiam in adnotationibus subiungemus.

Vir ille igitur doctus haec fere disputat: Carmen inta-

---

1) Cfr. Nipperdey, De locis quibusdam Horatii ex primo satirarum, in Opusc. p. 505 seqq. Berol. 1877.

ctum Graecis, de quo Horatius loquitur, est satira: qua in re omnes consentiunt, si excipias unum Döringium, qui Ennii Annalium libros intellegit [1]). Sed haec est prorsus inepta sententia, cum prae oculis habeantur tot Graecorum carmina genealogica et historica, quot ab Homeri Hesiodique sectatoribus et ex Alexandrinorum scriniis prodierint, aliâque ex parte satira a Quintiliano quoque (Inst. Or. l. l.) tota Romanis vindicetur. Cum igitur procul omni dubio intactum Graecis carmen sit satira, quaeritur, utrum de enniana an de luciliana agatur. De enniana hîc sermo esse non potest hisce praesertim de causis:

I. Ennius profecto satirarum libros conscripsit et hos quidem ante Lucilium [2]). Sed hoc satirae genus, in quo En-

---

1) Nostris etiam temporibus exstiterunt, qui illud «intactum Graecis carmen» non ad satiram referendum esse voluerint (de qua re fusius infra), ut, praeter alios, Nipperdeyus; qui tamen (in Opuscc. De locis quibusdam cett. sup. cit.) fatetur «si *rudi et intacto Graecis carmine* satira significatur, huius auctorem hic non alium dici posse quam Lucilium».

2) Cfr. Cic. Brut. c. 18. et Tusc. I, 1 coll. cum Hieron. ad Euseb. Chronic.; quorum alter tradit Ennii natalem fuisse annum postquam primam fabulam Romae Livius Andronicus docuit, h. e. 239 a. C.; alter vero testatur, Lucilium natum esse a. 147 a. C., h. e. integro fere saeculo post. Nonnulli viri docti demonstrare conati sunt, Hieronymum in enumerandis annis errasse. Haec quaestio huc non pertinet; id tantum subiungimus, Hieronymi auctoritatem ab aliorum dubitationibus strenue defendisse Vargesium in «Rheinisches Museum» III p. 34. Contra Haupt. Jahrbb. 107, 72. 365, qui contendit Hieronymum nomina consulum A. Postumii Albini et C. Calpurnii Pisonis, qui consulatum gesserunt a. 574 (180), cum Sp. Postumio Albino et L. Calpurnio Pisone (coss. a. 607=147) commutasse. Cfr. L. Mueller. in Luc. suo p. 289 et in opella: Leben und Werke cett. p. 3.

De Vita Lucilii scripserunt, praeter alios, Baylius in «Dictionnaire historique et critique. Amst. 1789. T. III p. 200-203; Van Heusde in capite: C. Lucilii aetas et vita (op. cit. p. 7-68) et nuperrime Muellerus opp. citt.

Si de Lucilii natali in Eus. Chron. constituto recte forsitan ambigitur, nulla prorsus iusta et probabilis causa subest, cur annus Lucilii mor-

nius operam suam collocavit (quod nos de hac re disputantes ad tertiam aetatem satirae romanae pertinere adfirmavimus), idem non est atque id quod Horatius *intactum Graecis* appellat; quod ut perspicuum fiat, satis est locum Quintiliani integrum inspicere, ubi non modo nihil de Ennio satirae auctore legitur, sed diserte in ea primum Lucilium insignem laudem adeptum esse confirmatur. Ineptiae et argutiae merae sint, si quis contendat, Quintilianum id tantum sibi voluisse, Lucilium laudem *insignem* adeptum esse, ceteros, qui satiras ante eum scripserint (inter quos sit Ennius numerandus), in iis non floruisse et hac de causa a Quintiliano omissos esse [1]). Quo si quis confugiat, ei sunt etiam atque etiam perpendenda verba ipsius Quintiliani, quae proxime sequuntur: «alterum illud etiam prius satirae genus, *sed non sola carminum varietate mixtum* condidit Terentius Varro.» Ex hoc loco duo potissimum effici possunt. Primum, praeter satiram lucilianam, quam totam romanam, i. e. Graecis intactam, Quintilianus praedicat, etiam aliud satirae genus fuisse intellegitur, quod cum «*prius* [2])» dicatur, lucilianae satirae antecessisse oportet. Deinde, cum satira, quam condidit Terentius Varro, *non sola carminum varietate mixtum genus* appelletur, sequi-

---

tis ultra terminum ab Hieronymo ad Euseb. Chron. statutum (i. e. 651 | 103) producatur. Cfr. Teuffel. Gesch. d. röm. Lit. §§ 143 notâ 1. Müller in Luc. suo p. 288 seqq.

1) Cfr. Weichert. Poett. Latt. Reliquiae p. 281, qui Ennium a Quintiliano hîc omissum esse contendit. Van Heusde autem (op. cit. p. 286) in poëtis a Quintiliano omissis, quorum tenues et exiguos conatus Lucilii fama obscuraverit, Naevium subaudiri vult.

His vero contortis coactisque interpretationibus neglectis, quam plana et simplex evadit Quintiliani sententia, si ita eius verba explicemus: Lucilius laudem et eam quidem insignem primus in satira adeptus est!

2) Nulla subest causa, quare illud «*prius*» ex corruptione vocis, quae sit «*amplius*» ortum esse putemus cum L. Muellero (Rhein. Mus. XXIV p. 142) vel depravatum ex voce «*peregrinum*» ut contendit Heinrichius (Explan. Horat. Prooem. Kiliae. 1808 p. 13).

tur, ut etiam alia antiquior forma satirae, id est, *sola* carminum varietate mixtae, exstiterit. Huius generis auctor quin fuerit Ennius, dubium non esse, iam alibi de hoc Quintiliani loco disserentes, pro viribus demonstravimus; nunc, quo melius nostram sententiam confirmemus, Casauboni verba (op. cit. p 199), ab Hermanno quoque laudata, in medium adferimus: «Nimirum hoc voluit Quintilianus, satiram, in qua Varro claruit, eam ipsam esse, quam vetusti scriptores, *quorum facile princeps Ennius*, illustraverant: hoc interesse tantum, quod illi solâ metrorum varietate poëmata sua satirica condierant, Terentius vero etiam prosam satirae suae miscuerat [1])». Recte igitur confici posse videtur, Ennium, qui in *prioris* generis satira princeps est habendus, non etiam luciliani, hoc est, *posterioris* generis auctorem appellari potuisse [2]).

II. Diversitatem ennianae satirae a luciliana manifesto probat locus apud Diom. 482. P., ubi eius satirae, quae sit carmen maledicum et ad carpenda vitia hominum compositum, Lucilius auctor dicitur, eius vero, quae ex variis poëmatis constet, Ennius auctor appellatur. Utriusque satirae discrimine etiam aliis argumentis passim explanato et naturâ satirae en-

---

1) L. Muellerus loco nuper laud. verbis apud Quintilianum «non sola carminum varietate mixtum» mente supplendum esse censet «sed etiam rerum». Huic vero sententiae adstipulari non possumus, cum iam alibi demonstrare conati simus, ipsum satirae etymon rerum varietatem] et quasi saturitatem significare satiramque ipsam in qualibet ex quatuor eius historiae aetatibus, τὸν χαρακτῆρα tum metrorum tum rerum varietatis plus minus semper exhibuisse.

2) Genus autem satirae ennianum luciliano prius esse, ex verbis quoque Diomedis liquet, cum hic grammaticus, de satira enniana loquens, voce «*olim*» cum tempore imperfecto coniuncta utatur, et contra de luciliana agens, tempus praesens usurpet. (Haec enim satira sibi a ceteris poëtis satiricis post Lucilii tempora exemplar sumpta fuit). Praeterea verba «*nunc quidem maledicum*» novam satirae notam, priori oppositam, luculenter indicant.

nianae exposita, recte quidem Hermannus animadvertit, temerarium esse, si quis omnes poëtas, qui qualibet de causa carmina sua hoc nomine (i. e. satirae) inscripserint, propter solam tituli communionem uno poësis genere coniunctos complecti velit, non id reputans, eam ipsam satirae definitionis naturam esse, ut diversissimas res eodem vocabulo comprehendi patiatur.

III. Cum res ita se habeat, utrum genus vere «intactum Graecis carmen», uter huius vere auctor, Lucilius an Ennius, dici poterat? Hermannus, hac sibi quaestione proposita, de aliis rebus, quae arctissime cum hac cohaerent, (quasque nos superius pertractavimus) passim agit, videlicet, de conformatione illa, quam sic praedicant, satirae lucilianae ad Graecorum imitationem, omnibusque contrariis sententiis refutatis, id in clarissimam lucem profert, totam illam satirae descriptionem, quae a Graecorum indole aliena singulari tantum Romanorum ingenio et temporum rationi deberetur, lucilianae uni satirae convenire, ut et ex veterum testimoniis et ex Horatii aliorumque imitatione liquet; deinde vix esse verisimile, Ennium, qui tam religiose exemplaria graeca colebat, tantum facinus sine eorum auctoritate ausum fuisse; postremo exempla et apud Graecos non deesse illorum carminum, metrorum rerumque varietate insignium, quâ solâ Ennii saturas conspicuas fuisse constat (cfr. Chaeremonis Centaurus, Theocriti idyllia, Menippi Gadarensis cynici carmina) [1]).

IV. Horatius in hac satira decima libri primi semel tantum nominat Ennium, i. e. versu 54, ubi ait, Lucilium ridere versus Ennii *gravitate minores*. Haec verba «*gravitate minores*» ad Ennii Annalium libros oportet referantur,

---

1) Cfr. etiam quae disputavit Nipperdeyus in Opuscc. «De locis quibusdam cett.» pag. 506: «Num qui Ennium hic inferunt, huius satiram putant intactum Graecis carmen fuisse? num Graecorum neminem poëmata vario argumento et variis numeris scripsisse affirmabunt?»

cum ad epicum quidem genus, non ad satiram, qualem Lucilii et suam ipsius describit Horatius, i. e. *sermoni propiorem*, quadrent. Itaque si hoc versu Ennius ut poëta satiricus verbis designatur, quî fieri potest, ut Horatius paulo inferius, v. 66, eundem *circumscribendo* tamquam satiricum indicet? [1]).

V. Ex omni satirae decimae contextu liquet, id sibi Horatium proponere, ut quantum possit, Lucilio concedat, dummodo ne curam et diligentiam in eo maiorem agnoscere cogatur, quam in eius carminibus adpareat; ideoque etiam v. 66 ea interpretatio praeferenda est, quae plus laudis in Lucilium conferat. Si « *auctor* » est Ennius, non magna quidem est laus, nam id diceret Horatius, Lucilium in satiris scribendis diligentiorem et limatiorem fuisse quam Ennium ceterosque poëtas seniores, h. e. quam poëtas, qui temporis ordine Lucilium antecesserint: quod quidem esset rerum naturae admodum consentaneum, neque ita magnam profecto laudem conferret in Lucilium, hîc praecipue, ubi de forma carminis agitur. Magis contra commendatur Lucilius, si verba illa ita explicentur, Lucilium non solum poëtas superiores, sed etiam suam ipsius condicionem exces-

---

1) Hermannus quidem et alterum locum ex Horatii satiris adferre poterat, ubi Ennius tamquam poëta epicus describitur. Hic est Sat. I, 4, 60: «Postquam Discordia taetra Belli ferratos postes portasque refregit»; quae verba, teste Porphyrione, ex Ennii Annalium libris petita sunt. Cfr. Vahlen. Enn. ed. p. 40. (Conferantur etiam in Lucilii editione a Muellero curata, causae et rationes, quibus Horatius hos Ennii versus ad gravitatem epicorum commonstrandam proposuit). Etiam hîc igitur Ennii exemplum, ut poëtae epici, in medium adfertur (cfr. praeterea Ep. II, 1, 50, ubi Ennius ab Horatio, qui grammaticis aliquid concedere vult, *alter Homerus* appellatur). Et requidemvera Ennius suam laudem poëmati epico, non satirae debebat, neque igitur, nisi nominatim et aperte, ut satiricus indicari poterat; nam περίφρασις seu circumlocutio tunc solum admitti potest, cum de scriptore vel re nota agitur, adeo ut, nomine utique omisso, omnia statim itidem intellegantur.

sisse, ut limatior exstiterit quam plerique alii in carmine novo et intacto futuri essent.

Haec, quae nos paucis congessimus, fusius et distinctius ab Hermanno sunt disputata, aliisque argumentis, quae nunc proferimus, satius comprobari possunt.

In versibus huius satirae decimae, inde a versu 64 usque ad v. 71 («Fuerit Lucilius, inquam..... vivos et roderet ungues») duae partes vel, ut ita dicamus, duae mensurae sunt, quibus Lucilius diiudicatur; quarum alteram *absolutam*, alteram vero *relativam* (si quidem ita dici potest) appellamus [1]). Urbanitas et comitas plane et simpliciter laudatur; laus vero limae eius, h. e. diligentiae et curae, quam ille in satiris suis expoliendis adhibuerit, admodum est relativa et dupliciter ab Horatio significatur, «limatior quam auctor carminis rudis et Graecis intacti» et «limatior quam turba poëtarum seniorum». Haec laus, ut liquet, est admodum relativa; namque, ut ex his verbis et quae sequuntur, constat, id ait Horatius, Lucilium, temporum ratione habita, non prorsus durum et neglegentem poëtam exstitisse, sed si floruisset aetate, qua erat Horatius, quaeque expolitiorem elegantioremque scribendi rationem postulabat, plus certe limae et curae ad satiras suas conscribendas fuisse adhibiturum.

Sed adversarii nostri haec obiciunt: Si «*auctor*» est Lucilius, hic cum se ipso componitur [2]). Verum ista obiectio speciosior quam gravior est. Non enim Lucilius cum se ipso, sed cum aetatis condicionibus confertur, quibus satiras composuit, quibusque mutatae condiciones aetatis, qua fuit Horatius, opponuntur. Pro iis temporibus, quibus Lucilius floruit, ei venia est danda, si parum diligens et limatus fuit, sed minime esset excusatione dignus, si tali

---

1) Cfr. Dziatzko, Rhein. Museum. XXVIII, p. 187 seqq.

2) Cfr. Nipperdey. (in Opuscc. pag. 507): «Auctor si est Lucilius, hic se ipso limatior dicitur.» Cfr. etiam Dziatzko, Rhein. Mus. XXVIII l. l.

modo elegantissimâ Augusti aetate satiras suas scripsisset [1]). Aetatis igitur condicionum studiorumque ratione habita, mirum quidem, si in Lucilii satiris vitia non maiora reperiuntur quam revera sunt.

Haec interpretatio non solum rationi et poëtae sententiae magis est consentanea, sed etiam historiae latinarum litterarum probe convenit, nam satira luciliana profecto «*intactum Graecis carmen*» erat atque id temporis etiam «*rude*» neque in hoc genere Lucilio exemplum ullum fuit, cum id nullo quidem pacto Ennius possit haberi [2]).

---

1) Haec nostra interpretatio multum confert ad id, quod superius attigimus et inferius demonstrabimus, confirmandum, nempe, non contra Lucilium praecipue, sed contra eius ineptos fautores, qui vitia potius Lucilii veterumque Romanorum poëtarum in universum, quam virtutes laudibus efferebant, Horatium versuum aculeis invehi.

2) Gerlachius qui (in opella: Lucilius und die römische Satire. Basel. 1844) v. 66 Ennium interpretatur, ridiculum admodum nostro iudicio adfert argumentum ad Hermanni sententiam oppugnandam. Nam, si auctor esset Lucilius, repugnantia tradidisse Flaccum contendit, cum poëta auctorem rudis carminis «*limatiorem*» appellarit, «denn die *limata oratio* wird sich doch in dem *carmine rudi* gezeigt haben». Ne longiores evadamus, id tantum obicimus, in voce, quae est «*rude*», diversos gradus distingui posse, adeo ut, v. gr., qui minus rudis sit, limatior quidem videatur, si eundem cum eo, qui sit magis rudis, conferas. Immo cum Varro genus orationis lucilianae «*gracile*» (h. e. cui subtilitas et venustas insit) dixerit, nonne luculenter comprobatur, a Lucilio antiquiores poëtas forma et pulcriore, ut ita dicamus, poësis specie et habitu longe superatos esse? Huius rei id est etiam gravissimum argumentum, quod constat, Lucilium quasi rigidum censorem in aequales vel seniores poëtas animadvertisse, cum eorum orationis vitia et menda risisset vel flagellasset; ideoque recte iudicare Mommsenus nobis videtur, cum scribat, Lucilium fuisse unum «von den Männern der strengen Observanz». (Röm. Gesch. 1869. II, 440). Haec insuper sunt animadvertenda. Luc. Muellerus (in opella: Q. Ennius. Eine Einleitung in das Stud. d. röm. Poës. S. Petersb. 1884. p. 50) ostendit: «dass der Geschmack des römischen Publikums zur Zeit des Ennius ein ganz ausgezeichneter, für den damaligen Stand der Volksbildung

Qui verba «quam rudis cett.» ad Ennium spectare contendunt, iis necessario est distinguendum inter *auctorem* et *inventorem* [1]), cum diserte vel oblique Horatius Lucilium satirae inventorem nominet vel describat (cfr. S. I, 4, v. 6; v. 57; 10, v. 48; II, 1, v. 29; v. 34; v. 62, 63.). Sed hanc distinctionem nimis subtiliter exquisitam esse, iam alibi animadvertimus; recte quoque contra eam disputat Nipperdeyus (in Opuscc. p. 506):

«Numquam latine is auctor appellatur, qui alia re agenda, ita ut ipse nolit, in causa est, ut alteri aliquid in mentem veniat. Auctor potius inventorem comprehendit; vel si quod discrimen statuere licet, inventor auctore prior est, ut, quod ille excogitaverit, hic prius agat eaque re alios, ut se imitentur, permoveat» (cfr. insuper Teuffel. Rhein. Mus. XXX. p. 623 seqq.).

Si hanc igitur distinctionem probemus, fit necessario, ut, cum inventor auctore prior sit, Lucilium Ennio fuisse seniorem fateamur; quod ab historia latinarum litterarum prorsus abhorret. Auctorem igitur et inventorem vocabula affinia, atque adeo synonyma accipienda esse putamus, in hac praecipue verborum coniunctione, ubi agitur de auctore *carminis intacti*. Quî enim quisquam «*auctor*» esse potest «*carminis intacti*», quin huius sit etiam inven-

---

wahrhaft bewunderungswürdiger gewesen ist». Quod si haec recte disputata sunt, eo rectius de Lucilii quoque aetate dici possunt, quae sine dubio elegantior et politior quam Ennii videbatur: omnium autem elegantissima aetas Augustea, qua fuit Horatius, exstitit: quae autem de Ennio ceterisque senioribus poëtis Lucilius, eadem fere de Lucilio Horatius (Horatio ipsomet teste S. I, 10, 53 seqq.) iudicavit; adeo ut tritum illud effatum, parce detortum, huc quoque vere adferri posse videatur: distingue tempora et concordabunt iudicia.

Ut igitur rem concludamus, non repugnantia tradit Horatius adfirmans, Lucilium in carmine etiamtum rudi pro illorum temporum rationibus studiisque limatum scriptorem evasisse.

1) Cfr. Bernhardy. Grundriss der röm. Litt. Weichert. Poëtt. latt. Rell. p. 280; Vahlen. ed. Enn. p. LXXXIII.

tor? [1]). Adde insuper quae alibi in notis subiunximus, i. e. τὴν περίφρασιν hoc loco, si vox quae est «*auctor*» ad Ennium referatur, alienam fore ab omnibus scribendi rationibus et legibus.

Quid plura? Neque Horatius neque ullus Romanorum scriptor Ennium satirae latinae auctorem fuisse putavit; Horatius enim, ut alibi diximus, ubique de Ennio, ut poëta epico, nusquam de eo, ut poëta satirico, loquitur; immo S. I, 4, 1-6, ubi de poëtis est sermo, quorum ad exemplar Lucilius satiras suas scripserit, Ennius ne nominatur quidem; quod, aut nos fallimur, perspicuum est documentum, nihil Ennio debere Lucilium. Nimirum Horatium et omnes post Lucilium Romanos scriptores id, quod satiram appellare consuevissent, plane diversum putare ab enniana satura, tam profecto quam ab antiquis illis scaenicis saturis, de quibus Livius docet VII. 2, recte quidem animadvertit Nipperdeyus (in Opuscc. l. l.).

Fuerunt qui, ut supra monuimus, illud «*carmen intactum Graecis*» ad aliquod poëma saturniis versibus compositum rettulerint. Sed hi versus saturnii numquam carmina, propriâ et verâ significatione sumpta, exstiterunt, neque igitur hoc loco de auctore quodam, certo et definito, loqui poterat Horatius, rectiusque tunc fecisset, si numero plurali («*auctores*») pro singulari («*auctor*») usus esset. Praeterea adiectio «*intactum Graecis*» omnino inutilis et supervacanea videretur, nam vocabulum ipsum «*saturnium*» originem, formam et naturam specifice, ut aiunt, romanam indicat. Quod si Dziatzko rem tam longe retro sumit, ut de carmine saliari Numae tributo suspicetur [2]), haec disputari contra vere posse videntur. In primis, si Horatius Lucilium

---

1) Hac eadem de causa non est veri similior sententia, quam Schütz. in Horatio suo (ad h. v.) defendit, «*auctorem*» idem esse ac «*scriptorem*» coll. Quint. X, 1, 93: «eiusdem operis auctores».

2) Cfr. Rhein. Mus. XXVIII. p. 187 seqq. Cfr. etiam Crain. Phil. IX p. 575 seqq. qui confert Horat. Ep. II, 1, 156 seqq.

cum aliquo poëta verbis circumscribendo comparare voluisset, necessario scriptorem aliquem clarum nobilemque, cuius nomen facile subaudiri et agnosci posset, indicasset; at is numquam est habitus neque haberi poterat Numa Pompilius. Deinde facete tantum et ludibrii causa laudari poterat ab Horatio Lucilius, quippe qui esset limatior quam Numa, qui iam 600 annis ante fuerat cuiusque carmina nemo fere iam intellegebat [1]). Sed in hac satira nullum prorsus vestigium exstat facetiarum vel ioci; immo Horatius tam severo utitur sermone, ut iniquus quasi Lucilii iudex adpareat et S. II, 1, iam remissis ira studioque, magna cum veneratione de eodem poëta loquatur [2]).

Attente denique considerentur verba «quamque poëtarum seniorum turba». Si «*auctor*» est Ennius vel unus quivis ex Lucilio senioribus poëtis, luce clarius est, Ennium vel poëtam illum rursus in verbis «q. p. s. t.» contineri. Nil igitur est reliquum, quam ut «*auctorem*» esse Lucilium statuamus.

Ne longiore sermone utamur, hinc illud colligere posse videmur, Hermanni interpretationem, cui sumus adsensi, omnia quasi ferre probabilitatis puncta. Unum tantum, quod primo obtutu grave videtur, ei opponi potest, i. e. insolentia quaedam et contorsio grammaticae, quae dicitur, constructionis; quod apud Horatium, verborum simplicitate et perspicuitate insignem, vix sit veri simile.

Sed qui haec obiciant, animadvertant in primis exempla, ab Hermanno collata, quibus, ab utraque lingua graeca pa-

---

1) Cfr. Quint. I, 6, 40: «Carmina Saliorum vix sacerdotibus suis satis intellecta».

Cfr. praeterea, quae de hac re scripsit Luc. Muellerus in opella laud. (Q. Ennius, Eine Einleitung cett. p. 119): «Was wäre das für ein Lob dass ein nach Horaz selbst graciöser und urbaner Dichter, wie Lucilius, gefeilter gewesen sei, als die alten *vates* zu König Numas Zeiten!»

2) Cfr. L. Mueller. in Lucilio suo pag. 296. Bernhardyus quoque (Grundriss der röm. Litteratur) scribit: «Milder und anerkennend lautet S. II, 1».

riter ac latina petitis, ea structura defendi potest; quae si iis non satisfaciant, recogitent ipsi, non semper a poëtis eam in verbis usurpandis curam ac diligentiam nobis esse postulandam, quae oratoris propria sit, et aliquando fieri, ut bonus etiam Homerus dormitet.

Ceterum, ut iterum adfirmemus, Hermanni interpretatio potior nobis videtur, quia non solum litterarum latinarum historiae magis est consentanea, sed etiam Horatii sententiae mentique unice convenit.

Ex his omnibus, quae hactenus disseruimus, manifesto patet, rectum iudicium hic quoque protulisse Horatium, cum Lucilium satirae auctorem vel inventorem appellarit. Etenim ante Lucilium satira, ut de enniana tantum loquamur, erat prorsus mixtum poësis genus, tum rerum tum versuum varietate insigne, quod, cum ei nulla propria esset species vel color, non diutius in litteris latinis permanere potuisset [1]). Illud igitur fuit magnum fortunae munus, Lucilium exstitisse, qui, acerrimi iudicii maximaeque festivitatis vir [2]), Scipionis Africani Minoris, Laelii aliorumque aetatis illius principum familiaris [3]), horum gratia tutus et florens, suae

---

1) Cfr. L. Mueller. «Q. Hor. Flaccus. Eine litterarhistorische Biographie. Leipzig 1880» et Gerlach. «Lucilius und die röm. Sat. Basel. 1844».

2) Cfr. iudicia, quae, praeter Horatium, alii scriptores de Lucilio habuerunt, quaeque infra transcribentur. Lucilii ingenium festivum indicat etiam familiaritas, qua utebatur cum Granio praecone, qui facetissimus vir atque antiquae et vernaculae romanae festivitatis verissima imago habebatur. Cum eo Lucilium multum fuisse eosque inter se urbanis salibus lacessisse, cum et per se ob utriusque ingenii cognationem probabile sit, tum ex Lucilii fragmentis colligi (ut ex Fragm. XI, 10-11) et ex eo probari potest, quod Cicero hos coniunctim nominat (ad Fam. IX, 15, 2. Cfr. etiam Brut. c. 43 et 46).

3) Huius familiaritatis testimonio sunt versus Horatii S. II, 1, 71-74, quaeque ad hos versus adnotat Comment. Vet. triclinii narrationem referens; nec non verba apud Ciceronem, De Oratore, passim. Lucilii ami-

vitae condicione ac ratione omnibus curis et negotiis ad rempublicam pertinentibus vacuus [1]), novus satirarum scriptor evasit, utpote qui firmam certamque notam tribuerit satirae, ad cuius exemplum posteriores satirici carmina sua effinxerint [2]).

De discrimine inter ennianam et lucilianam satiram iam superius passim nonnulla attigimus, idque in eo potissimum esse adfirmavimus, quod Lucilius unum maximam partem metrum carminum usurpavit et vitiosorum hominum ca-

---

citia cum Scipione Aemiliano, ad familiaritatem memoriam revocat, qua Ennius cum Scipione Maiore utebatur; id tantum interest, quod Lucilius, ut eques romanus ditissimus, nemini parere suamque sibi semper libertatem vindicare poterat. Quod autem spectat ad familiaritatem, quae inter Horatium et Maecenatem intercedebat, quamque Muellerus comparationis causâ memorat, videsis quae vir ille doctus disputavit in opella cit.: Leben und Werke des C. Luc. p. 7.

1) Cfr. Teuffel. Geschichte der röm. Litter. p. 224. — Praeter itaque liberrimam hominum vitiosorum reprehensionem, id quoque Lucilio fuit commune cum Aristophane, quod, ob suam beatae nullique obnoxiae vitae rationem, illo «otio cum dignitate» frui poterat neque audaci paupertate impellebatur «ut versus faceret». (Cfr. praeterea S. II. 1, 75, ubi Horatius testatur, se esse «infra Lucili censum». Alia argumenta, quibus comprobatur, Lucilio rem familiarem perquam lautam fuisse, adfert Van Heusde (op. cit. p. 61 seqq.).

Omnino autem a reipublicae administratione alienum fuisse Lucilium, qui certe bello Numantino adfuerat, non satis constat. Pighius (Ann. III, 31, 90, 95 Ed. Schott.) a Van Heusde allatus pag. 48, eum quaesturam 627/127, praeturam 637/117 gessisse censet; scripturarium autem publicanum fuisse conici fortasse potest ex fragm. XXVI, 16-17. Ulteriorem huius rei pertractationem videsis apud Van Heusde (op. cit. p. 57) et Corpet. (Satires de Lucilius cett., p. 137)

2) Cfr. quae docte disseruit Iahnus in Prolegg. ad Pers. edit. 1843: «Quod censor in lustratione, orator in foro, id poëta in satiris persequebatur, quae a rustica petulantia et cavillatione ad iustum poëma excultae, quaecumque se poëtae circumspicienti obtulerant, multa cum libertate notabant. Talis fuit Lucilii satira cett.»

Hinc a vero non aberrare credimus adfirmantes, Lucilii satirarum genus recte ethicum posse appellari.

stigationem, quos non καθόλου et universe, sed κατ' ἕκαστον et nominatim carpebat, rem sibi praecipuam in satiris proposuit [1]).

Etenim ex Ennii saturarum fragmentis (ut grammaticorum testimonia mittamus) effici posse videtur, eas carminum lusus fuisse et metri et materiae diversitate insignes ac metra in eâdem quoque satirâ saepe esse variata. Idem non cadit in Lucilii satiras, quippe quae, ut ex harum reliquiis intellegitur, fere omnes versu hexametro, qualem Ennius princeps a greca poësi in romanam transtulit, paucae iambico vel trochaico essent compositae [2]). Et hac

---

1) De Lucilio huius novae satirae inventore loquitur diserte Horatius cum alibi tum S. II, 1, 62-63: «Quid cum est Lucilius ausus *Primus in hunc operis componere carmina morem?* e. q. s.» Cfr. insuper quae Lucilius fragm. XII. v. 11-12 ex dubiis, de se ipso ait: «Cuius non audebo dicere nomen? Quid refert, dictis ignoscat Mucius, an non?» Quamvis Lucilius, ut superius admonuimus, interdum nonnullas res pertractaverit, in quibus consilium plane diversum ab ea poësi, quae nunc quidem satira dicitur, adpareat (ut cum de grammatica, de arte poëtica cett. egit), tamen in his quoque elementum, quod dicitur, satiricum non defuisse verisimile est. Sed rem exaggerare nobis videtur Mommsen. (Röm. Geschichte. 1869 II Bd. p. 438) qui scribit: «Sprachfehlerpolemik ist ein *Hauptelement* der lucilischen Satire». Verum, alia ex parte, Rupertium quoque credimus errare (Iuven. Sat. Vol. I, in Praef.) contendentem «Lucilium non saepe, ut Ennium, sed *unice* ac *semper* id egisse, ut mores hominum et quidem acerbissime notaret». Varietas enim rerum, quae erat in satira luciliana, argui potest etiam ex Horatii verbis S. II, 1, 30 - 34: «Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris cett.». Idque comprobat quoque ratio, qua grammatici in Lucilii verbis vel constructionibus laudandis utuntur; nusquam enim numerus unius alteriusve satirae, sed librorum numerus ab iis adfertur. Utuntur enim his formulis: in tertio, in nono satirarum libro; nusquam autem: in tertia, in nona satira. Singulis igitur libris non semper singulas satiras, verum plures comprehensas fuisse, intellegi potest. Sed in nulla lucilianum stilum, i. e. poëtae hominum scriptorumve vitia, errores, menda ineptiasque cuiusvis generis facete et libere carpentis, abfuisse contendimus.

2) Tam parvi erant momenti versus iambici vel trochaici, quibus etiam Lucilius usus est in satiris suis, ut Horatius eorum nullam rationem

etiam de causa, quod Lucilius satiris suis unam tantum versus formam tribuerit, iis convenientem, quae a posterioribus (Horatio, Persio et Iuvenale) unice fuit usurpata. eum vere dici posse satirae inventorem contendimus [1]). Etenim, quamvis metri forma, teste Aristotele, parum ad carminis naturam declarandam conferat, tamen id negari non potest, cum illa versus species, quae cuidam poësis generi conveniat, reperta fuerit, etiam metrum in huius definitione generis, qua ipsius natura significatur, esse includendum. Cfr. quae de hac re egregie disputavit Dacierus [2]), qui, comparata tragoediae graecae fluctuatione in metri forma sibi convenienti exquirenda, donec illa in iambicis trimetris conquieverit, idem fere de satira dici posse demonstravit. Etenim satira, ut rem ex alto repetamus, initio versu saturnio, deinde iambicis, trochaicis et heroicis versibus promiscue usa est, donec Lucilius hexametris maxima ex parte satiras composuit [3]), quam formam, huic poësis generi aptissimam, ad sum-

---

habuerit, cum scripsisset: «mutatis tantum pedibus numerisque». (S. I, 4, 7). Ceterum si Lucilius alium atque heroicum numerum nonnunquam usurpavit, singulos tamen libros singulis metris (quod saltem ad hexametros pertinet) conscripsit, neque enniano more varii generis versus miscuit in eodem libro. Augustus Fürth autem putat, Lucilium in singulis satiris uno utique eodemque metro, in singulis vero libris nonnunquam diversis metris usum esse (Quaest. Lucil. Bonnae 1865, p. 24). Ille autem contendit, libros XX priores cum trigesimo solis hexametris esse exaratos, XXII - XXIX (omissis XXI et XXIV, quorum nulla exstat memoria) polymetros fuisse, id est, praeter hexametros et disticha, iambicos et trochaicos promiscue continuisse numeros (ib. p. 25). De hac re pauca rursus infra dicemus.

1) Animadvertat autem benevolus lector, nos dixisse: *hac etiam*, non *hac sola* de causa quod cett. Unde adparet, nos minime adstipulari eorum sententiae (ut Theodori Fritzche. Horaz und Menipp. Güstrow. 1871), qui contendunt, Horatium Lucilio nomen satirae inventori indidisse non aliâ causâ, nisi quod primus satiras heroico metro exaraverit.

2) Mémoires de Littérature. V. Académie Royale des Inscriptions et des belles Lettres. A. 1719.

3) Ut ad rem, quam paulo superius attigimus, redeamus, procul omni

mam perfectionem provexit in primis Horatius. Commendatur enim gratâ quadam neglegentiâ et nativa simplicitate, quacum elegantia et venustas coniuncta esse potest, quaeque communem sermonem mirifice exprimit. Horatium enim consilio et industriâ gravitatem et granditatem versus heroici in satiris suis vitasse eiusque vim et nervos tam multis spondeis, tam aptis caesuris imminuisse et debilitasse, inter omnes constat. Non inepte igitur definitur satira a Daciero l. l.: «La satire est *un poème en vers hexamètres sim-*

---

dubio est, ex triginta Lucilii satirarum libris inde a primo usque ad vicesimum, (quibus accedat etiam tricesimus) ad unum omnes heroico numero, nullo alio metro immixto, exaratos fuisse; ceteri partim dactylicis, partim trochaicis tetrametris, partim iambicis trimetris compositi adparent. Libri vicesimus primus et vicesimus quartus, cum ne unum quidem horum exstet vestigium, augurari non possumus, quo fuerint metro conscripti. Ob paucitatem fragmentorum haec quaestio etiam de libris XXII, XXIII, XXV (?) satis est difficilis et involuta. Distichorum unum tantum certum exemplum est Metrophanis epitaphium (XXII, vers. 1-2); versus qui in eodem libro proxime sequitur (editt. Corpet. et Gerlach.; v. 9 ed. Müller.) utrum pentameter an hexameter sit, adfirmari non potest, cum de eius lectione ambigatur. (cfr. Fürth. op. cit. p. 21). Quod ad librorum distributionem attinet, cfr. Schmidt. et Schönbeck. (opp. citt.) et praecipue L. Mueller. in Lucilio suo (p. XI).

Quod scribit Hermannus (op. cit. p. 25), Lucilium, quamvis diversis versuum generibus integros libros composuerit, singulos tamen singulis metris et iis maxima ex parte heroicis conscripsisse, iam dixerat Dousa (ad Luc. fragm. edit. p. 99), qui non inepte suspicatur, ubi variis eiusdem libri versibus offendamur, «eos aliis (libris) aberrasse incuriâ librariorum maxime». Quam etiam ob rem igitur Lucilius est secernendus cum ab Ennio (ut superius admonuimus), qui diversa metrorum genera in iisdem libris usus erat, tum a Varrone, qui insuper et solutam orationem immiscuerat.

Solos hexametros versus respexisse Horatium, cum Lucilianos parum limatos exprobrasset, iure suo adfirmavit Muellerus (in Luc. ed. p. XIV) et eius sententiae iam supra sumus assensi. Constat etiam, grammaticos ipsos et Horatii interpretes heroicos tantum numeros in Lucilii satiris prae oculis habuisse. Non inepte quidem a Muellero laudantur Acronis et Porphyrionis verba ad Horat. S. I, 4, 6-7. Nam Porphyrio scribit:

*ples*, et qui tient de la conversation, fort varié et qui assaisoné du sel et des railleries de la vieille comédie, renferme plusieurs choses instructives et utiles pour les moeurs».

Sed non sola in metris aequabilitate externâque poësis specie et formâ Lucilii satirae ennianis antecellebant, sed multo magis iis virtutibus, quae satiricae poësis vim et naturam maxime attingunt, sale, lepore, festivitate, facetiis, sententiarum aculeis [1]). Huc accedebat mira libertas, qua Lucilius, nulla hominum ratione habita, utrum nobili an humili genere essent nati [2]), eorum vitia et ineptias carpere et modo iocose et lepide, modo serio ac severe perstringere et compellare solebat. E fragmentis quidem eius satirarum et

---

«quia silicet alio metro usi archaeas comoedias scripserunt, alio Lucilius satyras suas composuit». Et apertius Acro: «Illi enim iambicis scripsere comoedias, Lucilius heroicis». Praeterea adicienda credimus verba Porphyr. et Acron. ad Horat. S. I, 10, 66. Acr. «Lucilius satyram ..... versibus hexametris scripsit». Porphyr. «Hoc ideo dictum, quia nulli Graecorum hexametris versibus hoc genus operis scripserunt». (cfr. insuper Comm. Vet. p. 400). Testimonio est etiam Lydus (De Mag. I, 41), qui scribit, Lucilium carmina sua «ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν» exarasse.

Alii denique loci a Muellero omissi, ubi Horatium, de eadem re agentem, Lucilii solos hexametros respicere liquet, sunt S. I, 10, 59: «si quis *pedibus* quid claudere *senis*» cett. et S. II, 1, 28: «me pedibus delectat claudere verba Lucili ritu» cett.

1) Cfr. quae scribit Muellerus in opella cit. (Leben und Werke cett. p. 11): «Das, was wir jetzt unter dem Vorte «satirisch» ausschliesslich zu verstehen pflegen, scheint gerade in des Ennius Satiren am wenigsten gefunden zu werden».

2) Hanc Lucilii libertatem graphice quidem sciteque indicat Teuffel. (Gesch. d. röm. Litter. p. 224) cum eam nominet: «eine freimütige Kritik, wie sie weder ein Komiker vor ihm noch ein Satiriker nach ihm gewagt hat». Recte etiam animadvertit Hermannus: «tantum abesse ut Ennium in carpendis hominum vitiis, quamvis e longinquo ad Lucilii libertatem accessisse consentaneum sit, ut potius totam vitam delectandis aequalium animis rebusque eorum praedicandis impendisse videatur». Immo Blumius («Einleitung in Rom's alte Geschichte. Berlin 1828. p. 33) loquitur de Ennio «nobilium sui temporis sectatore et assentatore»; quod quantum ab-

scriptorum testimoniis elucet, eum nec clarissimis suae aetatis viris [1]), ut Q. Mucio Scaevolae, ut L. Cornelio Lentulo Lupo, ut Q. Caec. Metello, aliis, nec mortuis poëtis, ut Ennio, ut Caeci-

---

sit a iudicio Horatii, Lucilium primores populi arripuisse, nemo est quin videat. Quamquam satiricam vim (ut hodie haec vox accipitur) prorsus ab Ennii carminibus abfuisse, ineptum sit, si quis contendat. Omittimus aliquot Ennii librorum titulos, ut Sotae et Phageticorum, ubi luxuriosi et helluones exagitari videbantur, sed exstant in Ennii fragmentis hi versus, qui luculenter nostram sententiam confirmant. Aliam personam poëta sic facit loquentem: «Enni poëta salve, qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus». Ed. Vahl. p. 155. Cfr. etiam pulcherrima verba, quibus expingitur parasitus quidam: «Insertis malis et expedito brachio Alacer, celsus, lupino exspectans impetu, cett.». ib. p. 158. Recte igitur iudicat Gerberus (De Rom. Sat. Ienae 1756 p. 22), «acriter *interdum* homines Ennium perstrinxisse in satiris». Sed haec hominum vitiosorum cavillatio non fuit pars praecipua satirae ennianae, quod contra apte dici potest de Lucilio. Ennium *nonnumquam* hominum vitia, ineptias et nugas salse risisse et exagitasse, scribit etiam Van Heusde (op. cit. p. 283), sed eum *potissimum* delectatum esse, populi romani gloriâ celebrandâ ac principum virorum laudibus canendis fatetur (pag. ead.).

1) In satiris autem horatianis frustra quaeras locum, ubi viri nobiles vel dignitatibus conspicui facetiis et irrisionibus exagitentur. Horatius a Lucilii consuetudine recedens, viros tantum ignobiles, ut scurras Pantolabum, Nomentanum, vel philosophorum ineptos sectatores, ut Crispinum, Damasippum, Demetrium veris nominibus significavit. (Sed suspicio non abest — de personis enim horatianis recte iudicare difficillimum est— quin multa nomina, quibus utitur Horatius, a Lucilio ducta sint — cfr. Mueller. in Luc. edit., vel a poëta venusino adhibita, ut quaedam hominum vitia, ineptiae, infirmitates in universum iis indicarentur — cfr. Bernhardy. Grundriss. cett., cum ea in proverbium quasi abissent). Quod si nonnumquam conspicuos nobilesque viros carpere vult Horatius, non veris, sed fictis nominibus, contra id, quod Lucilius facere consueverat, plerumque utitur; id autem ita fecisse, ut verum nomen vel ex pari syllabarum numero, vel ex aliis indiciis facile conici posset (v. gr. Maltinus pro «Maecenas») non inepte fortasse animadvertit Weberus in opusc. «Q. Horatius als Mensch und Dichter. — Aliam differentiam inter lucilianam et horatianam satiram statuit Bolia (De Horat. et Iuven. satir. auctoribus. Friburgi. 1871), qui suo iure ait, «Horatii satiras magis universe quam

lio, ut Accio, nec sibi ipsi [1]), immo ne diis quidem pepercisse [2]); sed, ut Horatii verbis utamur, *multo sale urbem defricuisse, primores populi arripuisse populumque tributim, scilicet uni aequum virtuti atque eius amicis* [3]). Inde factum est, ut satirae eius, quamvis nonnullis vitiis ac maculis notandae (de qua re inferius agemus), Romanis tamen mirifice probarentur, adeoque ducentis fere annis post scriptoris mortem (a. 651 p. U. c.) eos amatores habe-

---

proprie, Lucilii autem magis proprie quam universe scriptas esse», huiusque discriminis causam inquirens, hanc recte adfert «quod poëtam utrumque fuisse diverso ingenio et diversa aetate vixisse videmus».

1) Cfr. Acr. ad Horat. S. II, 1, 30. Qua in re quoque eum imitatus est Horatius. V. Sat. I, 3, 25 et totam satiram septimam libri alterius.

2) Cfr. Lactant. Inst. Div. I, 9, 8. Hoc autem magis popularis religionis stultarumque caerimoniarum fastidio, quam impietate animi factum, arbitramur cum Van Heusde (Studia critica cett. p. 75 et 187 seqq. Cfr. praeterea quae scriptor idem ait p. 166-167, ubi de argumento libri primi disputat).

3) Postremus hic versus (S. II, 1, 70) animum Lucilii rectum et candidum ac finem praecipuum, quem sibi in hac, qua fungebatur, quasi morum censura, poëta proposuit, luculenter probat. Cfr. etiam fragm. XXVII, 1-2, cuius tamen lectio admodum est ambigua. — Sed quo melius nostram sententiam confirmemus, facere non possumus, quin egregium de virtute locum (ex inc. 1, v. 1-13) apponamus, ubi stoicum loquentem inductum quasi dicas a Lucilio:

«Virtus, Albeine, est pretium persolvere verum
Queis in versamur, queis vivimu' rebu' potesse:
Virtus est, homini, scirei quo quaeque abeat res.
Virtus, scirei, homini rectum, utile, quid sit honestum;
Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum:
Virtus, quaerendae finem re scire modumque:
Virtus, divitiis pretium persolvere posse:
Virtus, id dare, quod re ipsa debetur, honori;
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum.
Hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda praeterea patriai prima putare,
Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra».

rent, qui, teste Quintiliano Inst. Or. X, 1, 93, Lucilium omnibus poëtis praeferre non dubitarent [1]).

Vere igitur recteque ab Horatio satirae inventor dici poterat Lucilius: eos autem, qui secus sentiunt [2]), perpe-

---

Etenim quibus satiris vitia Metelli et Lupi flagellabat, iisdem Lucilius virtutes Scipionis aliorumque laudando extollebat. Quod quidem satirarum naturae admodum esse consentaneum nemo, ut credimus, negabit. Mores enim corriguntur non modo vitiis carpendis, sed etiam virtutibus praedicandis. Quamobrem vere canere de Lucilio nobis videtur Claudius Rutilius Namatianus (Itin. I, 605 - 606): «Restituit veterem censoria lima pudorem: Dumque malos carpit, praecipit esse bonos».

1) Cfr. etiam Tac. Dial. de Orat. 23, qui non benigne loquitur de iis, qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Vergilio legebant. Quibus haec recte subicit Teuffel. (Gesch. der röm. Lit. p. 226): «und wer auf Energie und Originalität den Hauptwerth legte hatte darin ganz Recht». Quamquam posteriorum imperatorum temporibus singularis haec Lucilii aestimatio magis magisque exolevisse videtur, tamen tunc quoque non defuerunt, qui eius studio et amore ferrentur; inter quos sunt nominandi Ausonius et quidam Decius, quem Casaubonus laudat et novimus ex Itinerario Claudii Rutilii Namatiani (I. 599). Ingentis huius admirationis, quae quamdiu superfuerunt Lucilii carmina, numquam plane exolevit, si quis causam inquirat, nos Mansonem secuti (cfr. Nachträge zu Sulzer's Theorie p. 443 seqq.), eam duplicem fuisse censemus; alteram in maxima antiquitatis veneratione credimus esse positam, quâ in veteribus poëtis Romanorum vivam sermonis latini imaginem et verum poësis exemplum expressum putabant; alteram in laudibus, quibus M. Cicero Lucilium est prosecutus. Neque est etiam mutata temporum rerumque condicio silentio praetereunda: lubenter enim, amissa libertate, ad eam aetatem mente recurrebant, quâ reipublicae status et libertas etiamtum integra vigebat.

«Es war (ut ipsius Mansonis verbis utamur) ein gewisser Geschmack nach seinem Jahrhundert, nach jenen glücklichen Zeiten, deren Andenken den Römern um desto werther wurde, *je weiter sie sich von ihnen entfernten*. Es war.... der Nachhall einer Laute aus fernen Tagen, die wenn sie auch nicht rein und lieblich klang, doch nachdrücklich und kräftig tönte».

2) Cfr. praeter alios, Manso (Nachträge zu Sulzer's Theorie. IV p. 417), qui Lucilium appellat Ennii successorem («Nachfolger»); Baehrius (Gesch. d. röm. Litt. I, p. 546), qui contendit, satiram latinam Lucilii operâ nil praeter maiorem «Ausbildung und Vervollkommung» assecutam esse;

ram iudicare, iis omnibus de causis, quae ex rebus hactenus disputatis colligi possunt, omnino credimus.

Restat nunc, ut de postrema nostrae disputationis parte proprie agamus, de iudiciis, quae de Lucilio in satiris IV et X libri primi Horatius protulit. Iam passim de hac re nonnulla superius attigimus.

Quas sententias de Lucilio Horatius tulit, eae in vituperationem sunt et in laudem. Ut eas summatim colligamus, Lucilium hisce de causis in vitio esse putavit Horatius:

I. Est durus componere versus [1]). S. I, 4, 8. Cfr. S. I, 10, 1: versus Lucilii currunt incomposito pede; S. I, 10, 58 requiruntur in Lucilio «versiculi magis facti et euntes mollius».

II. Dictabat in hora saepe ducentos versus stans pede in uno [2]). S. I, 4, 10. Cfr. I, 10, 60: Amabat scribere ducentos versus ante cibum, totidem cenatus.

---

Vallaurius (Hist. crit. Litt. Latt. p. 30), qui scribit: «Ennius primus dicitur illius satirae generis auctor, *quam Lucilius subinde limatiorem fecit*». Cfr. insuper Paldamus. (Horatiana. pag. 14); Vahlenus. (Quaest. Enn. p. LXXXIII).....

1) Non bene interpretari illud: «durus cett.» nobis videtur Döringius, qui scribit ad h. v: «*Durus* vocatur Lucilius, quod se versus scabros, incomtos et inconcinnos fundere *non sentiebat*». Tali modo Horatii criminatio non contra Lucilii versus orationemque, sed potius contra ipsius Lucilii ingenium dirigitur. Quod aperte repugnare Horatii menti et verbis quae praecedunt (v. 7-8), iam scripsit Jacobs. (Vermischte Schriften P.V, c. XI, 1834. Leipzig). Hic itaque sermo est de forma tantum, et haec verba in eandem sententiam accipienda sunt, qua Cicero Atilium poëtam *durissimum* (ad Att. XIV. 20, 35) et Licinium *ferreum* scriptorem (de Fin. I, 2, 5) dixit.

2) Minus recte, sed speciose interpretatus est illud «stans pede in uno» Van Heusde (Studia critica cett. p. 101 et Epist ad Hermann. p. 26), quasi dixerit Horatius, Lucilium unam pedis metrici formam, h. e. heroici, adhibuisse satiris conscribendis. Illud tantum contra hanc interpretationem animadverti satis sit, Horatium ipsum non plerumque, ut Lucilius fecit, sed semper heroicum metrum in satiris usurpasse neque igitur

III. Fluit lutulentus et in eius satiris est quod tollere velles. S. I, 4, 11. Cfr. S. I, 10, 50: «At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem Plura relinquendis». Cfr. etiam S. I, 10, 68: «Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum, Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra Perfectum traheretur».

IV. Est garrulus ac piger ferre laborem scribendi. S. I, 4, 12. Cfr. S. I, 10, 68 seqq.: «Si foret hoc nostrum .... in versu faciendo Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues».

V. Miscuit graeca verbis latinis. S. I, 10, 20.

Haec autem Horatius in laudem Lucilii dixit:

I. Exemplum veterum poëtarum Atticorum secutus Lucilius magna cum libertate notavit vitia hominum. S. I, 4, 1-5. atque fuit «emunctae naris». ibid. v. 8. Cfr. S. I, 10, 3-4: «Sale multo Urbem defricuit». Cfr. etiam S. II, 1, 69: «Primores populi arripuit populumque tributim».

II. Fuit auctor carminis Graecis intacti. S. I, 10, 66, utpote qui satirae inventor exstiterit. ibid. v. 48. Cfr. etiam. S. II, 1, 62-63: «Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem».

III. Horatius fatetur, se esse *inventore minorem*. S. I, 10, 48 neque audere illi detrahere coronam haerentem capiti multa cum laude. v. 49. Cfr. etiam S.

---

veri simile esse, id Horatium Lucilio vitio dare, quod et ipse fecerat.

Prorsus autem ridicula est interpretatio, quam profert Baillet. (Jugements des Savants t. III. 2. partie, p. 67): «Horace dit, que Lucilius dictait ses vers débout sur un pied, tenant l'autre levé en l'air, ce qui passait pour une rareté fort singulière» (!!!). Recte ea verba explicare nobis videtur Weichert. (p. 25): «Horatius nihil nisi quam promptus in fingendis poëmatis et facilis ad extemporalitatem usque fuerit Lucilius, hoc iocose dicto voluit significare».

II, 1, 75: «Sum ego..... *infra Lucili censum ingeniumque*» et S. II, 1, 29: «Me pedibus delectat claudere verba Lucili ritu, *nostrum melioris utroque*» [1]).

IV. Est comis et urbanus atque, ut iis temporibus, quibus floruit, limatus [2]). S. I, 10, 65 seqq. Cfr. etiam S. II,

---

1) Non adsentimur Dousae, qui putat «*melioris*» pro «*generosioris, nobilioris*» positum et ad genus ac natales refert, sed potius facimus cum Van Heusde (op. cit. p. 70), qui arbitratur, Horatium eo adiectivo probitatem et aequitatem Lucilii significare voluisse; eius etiam praestantiam in satirico genere, quo ipse ab eo superaretur, indicasse Horatium, contendi quoque potest. Ex locis enim nuper laudatis adparet semper Horatii modestia, qui candide fatetur, se nil nisi Lucilii, cui primas concedit, sectatorem esse. Cfr. praeterea S. I, 4, 56 seq. et S. II, 1, 34. Nonnulla sine dubio ex Lucilio ducta in suis satiris exhibet Horatius. (Cfr. Schönbeck. Quaest. Lucil. Halae 1842. p. 13 et Petermann. De C. Luc. vita et carminibus Vratisl. 1842. passim. Quin immo Iltgen. opusculum edidit, cui inscripsit: De Horatio Lucilii aemulo. Montabaur. 1872; quem nos libellum inspicere non potuisse dolemus). Non est tamen Daciéro adstipulandum (Mémoires de Littérature. l. 1) qui adeo rem exaggerat, ut scribat: «Si nous avions tous ces poèmes (de Lucile), nous verrions l'usage qu'Horace en avait fait» et quae iam Cicero de Ennio Naevii poëmatum expilatore dixerat, transferat ad Horatium: «Ab illis vel sumpsisti multa, si fateris; vel, si negas, subripuisti». Ut rem concludamus, similitudo, quam procul dubio tum in personarum nominibus rerumque descriptionibus, tum in vocabulorum usu in satiris horatianis cum lucilianis nonnunquam deprehendimus, ea non est, ut poëtae venusini laudibus aliquid detrahi possit, verum ea, quâ arcta lucilianae et horatianae satirae adfinitas indicetur; adeo ut hic quoque recte adfirmasse Horatium sit censendum, se in satiris scribendis Lucilium esse secutum. — Hac etiam in re imitari Lucilium Horatius videtur, quod de se ipso nonnumquam loquitur. Ita enim fecerat Lucilius (Horatio ipso teste S. II, 1, 30 seqq.), qui libris tamquam fidis sodalibus mandare solebat quidquid sibi vel boni vel mali evenerat. Hoc probant etiam Lucilii fragmenta, ubi saepe eius nomen occurrit, cum poëta de se ipso vel loquitur vel alios de se dicentes inducit. (Cfr. Van Heusde. Epist. ad Car. Frid. Hermann. de C. Lucilio. Trai. ad Rhen. 1844 p. 18).

2) Cfr. Mueller. in Luc. ed.: «Sicut alia supellex fuit apud Scipiones, alia apud Crassos et Lucullos, ita quae Lucilii tempore erat laudi comitas atque

1, 17, ubi appellatur «*sapiens*», de cuius vocis significatione et vi, quam hoc loco habeat, disputavit Van Heusde (Stud. crit. cett. p. 76 seqq.).

V. Eius modestiam laudat Horatius S. I, 10, 55: «Cum de se loquitur non ut maiore reprensis [1])».

Quo melius Horatii contra Lucilium iudicia perpendamus, non est quidem alienum a re nostra pauca praefari de condicionibus et rationibus (quod ad litterarum studia pertinet) eius aetatis, quà fuit Horatius. His enim consideratis, ea iudicia, interdum forsitan iusto acerbiora (cfr. Petermann. op. cit. p. 18), et nimis severa (cfr. L. Mueller. in Luc. suo), facile intellegentur et excusabuntur, idque magis perspicue patebit,

---

urbanitas, non iam sufficiebat Horatii aequalibus». Sed Lucilius, si eius carmina cum rudi indigestaque mole superioris satirae comparentur, limatus sine dubio videtur. Nam, veteris satirae asperitate ab eo sublata, peculiaris et proprii generis, i.e. gracilis, exemplum eius satira habita fuit. Haec sunt tradita a Gellio N. A. VI, 14, qui testatur, Varronem inter tria dicendi genera, quae Greci χαρακτῆρας vocant, i. e. ἁδρόν, ἰσχνόν, μέσον, vel latino sermone *uber*, *gracile* et *mediocre*, Lucilio genus «*gracile*» tribuisse eumque ut exemplar huius generis (cuius sint dotes praecipuae «venustas et subtilitas» Gell. l. l.) laudasse. Eadem tradit Fronto p. 113 Nab. qui scribit: «In poëtis autem quis ignorat ut gracilis sit Lucilius?» Huius gracilitatis causam Kleinschmitius (De Lucilii satir. scriptoris genere dicendi. Marb. 1883) tribuit crebrae deminutivorum usurpationi, quae procul dubio Lucilio in amore et deliciis fuerunt. Ea diligentissime collegit p. 58. Cfr. denique Petron. 4, qui nominat schedium Lucilianae humilitatis.

1) Cfr Bernhardy. Grundr. d. röm. Litt. et L. Mueller. in Luc. suo. Omnino errare putamus qui contraria prorsus interpretatione hunc versum explicare moliuntur; ut, praeter alios, Döringius, qui stultissimam arrogantiam Lucilio tribuit, cum illum locum ita interpretetur: «Cum Lucilius de se loquitur, nonne ita loquitur ac si potior esset iis, quos reprehendit?» Videsis quae contra hanc incredibilem sententiam optime disputavit Orellius (in Horatio suo ad h. v.). Lucilium autem egregie de Ennio sensisse et nulla aut invidia aut ira ductum eum nonnumquam facete lacerasse, testatur locus apud Hieron. (Comm. inMichaeam c. 7), qui scribit, Lucilium solitum fuisse, Ennium quasi Homerum alterum nominare (Quae Lucilii verba certe ob oculos habuit Horatius Epist. II, 1, 50).

quod iam superius monuimus, Horatium non contra Lucilium praecipue, sed potius contra veterum fautores poëtarum, qui nihil aliud admirabantur «nisi quod Libitina sacravit» (Ep. II, 1, 49), irâ accendi et invehi [1]).

Gravissimam ingeniorum studiorumque mutationem, iam Sullae aetate, sed Augusto maxime imperante, Romae exstitisse, consentiunt inter se viri docti. Neglecto maiorum more, quem lepidissime depingit Horatius Ep. II, 1, 103 seqq. («Romae dulce fuit... e. q. s.), tunc permulti Romanorum unice appetebant ea, quibus delectarentur animi et ad Graeciam sese convertebant. Iam Catonis tempora transierant, quibus philosophi atque rhetores urbe exterminabantur [2]), neque fore, ut aliquando haec redirent, cuiquam in mentem venire poterat. Romanorum adulescentes, cum primum ex pueris ex-

---

1) Cfr. Campe. «Litterarische Tendenzen und Zustände zu Rom im Zeitalter des Horaz». Jahrbb. für Philologie 103, p. 463 seqq. et 537 seqq. Cfr. etiam Krueger. «Drei Satiren des Horaz. cett. p. 18. Quod nos contendimus, Horatium contra stultissimos antiquarios potius quam contra Lucilium ipsum, vehementer irâ inflammari, ex eo quoque liquet, quod, cum Horatius S. I, 10, 57-58, quaerat: «num illius, num rerum dura.... natura» Lucilio negarit versus meliores, oblique colligi potest, *temporum* tantum *rationem* (ita enim recte, nostro iudicio, interpretatur Van Heusde op. laud. p. 104 illam «*rerum naturam*» contra Comm. Cruq. p. 399, Döring, Ed. Hor. ad h. v., Düntzer. Kritik und Erklärung d. Sat. d. Hor. p. 26, alios, qui potius de natura earum rerum, quas scripsit Lucilius, cogitant) ex Horatii quoque sententia Lucilio defuisse, utpote quae « stili concinnitatem et elegantiam scribendique patientiam» non tulisset. Non enim de Lucilii natura et ingenio dubitare potuisse Horatium cum ex contextu satirarum I,4; I, 10 et II, 1, tum praecipue ex versibus 68-71 satirae decimae libri primi satis elucet, ubi adfirmat Flaccus, Lucilium, si augustea aetate vixisset, elegantiorem poëtam evasurum fuisse. Itaque non ingenium, sed tempora, Horatio ipso iudice, Lucilio defuerunt.

2) M. Porcius Cato, rigidus morum censor et antiquae Romanorum virtutis severus custos, litteras graecas, maximeque philosophiam et rhetoricam, Romanis infestissimas existimabat. Cfr. Plut. Cat. 23: «Ἀποβαλοῖσι

cesserant, Athenas vel alias graecas urbes, quae litterarum artiumque cultu florerent, petebant et frequentabant, ut se graecis magistris erudiendos traderent [1]). Quin eo usque processum est, ut graece institui quasi absolutio Romanorum educationis ac disciplinae haberetur. Neque id Augusto displicebat, immo vero summopere probabatur, cum cives quotidie magis a rebus publicis avocarentur et praeclara maiorum tempora, quibus libertas vigebat, oblivione obrueren-

---

Ῥωμαῖοι τὰ πράγματα, γραμμάτων ἑλληνικῶν ἀναπλησθέντες». Cfr. etiam Liv. XXXIV. 4, qui ita eum loquentem inducit: «Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi; iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes». Verum constat et Catonem ipsum, cum huic novae aetatis quasi aurae adflanti obstare non potuisset, litteras graecas iam senem ut ὀψιμαθῆ didicisse; cfr. Cic. De Senect. I: «quarum (i. e. litterarum graecarum) constat Catonem perstudiosum fuisse in senectute». Et (quod facilius intellegitur) Marius quoque doctrinae graecae adversabatur. Cfr. Sall. Iugurth. 85, 32: «Neque litteras graecas didici; parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant».

1) Quamvis etiam Cicero graecis magistris usus sit et quantum graecarum litterarum studio ipse debuerit, aperte fateatur (Brut. 306, 310. Cfr. Bernhardy, Grundriss. cett.) magnamque utilitatem, quam litterae latinae ex graecis perceperunt, praedicet (De Orat. passim), tamen iudicia nonnumquam de Graecis protulit, quae ut omnibus aequa et iusta possint videri, admodum veremur. Sed ei forsitan venia est danda, si orator rebus publicis implicitus et patriae amore ductus, populari, ut dicitur, superstitioni, quae Graecorum disciplinis adversabatur, plus quam par est, indulsit. Eiuscemodi iudicia sunt Tusc. Quaest I, 1: «omnia Romanos aut invenisse per se sapientius, quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent». De Orat. I, 4: «Romanorum ingenia multum ceteris hominibus omnium gentium praestitisse». Cfr. praeterea De Fin. III. 15; Tusc. II, 15, 35; III, 4, 7; De Orat. I. 47, 102, 105, 111, 221; II, 4, 17. De Divin. I, 1, cett.

De hac re fuse disseruit Funkhänelius — Bemerkungen über das Verhalten der Römer, namentlich des Cicero und Horatius, der griechischen Bildung gegenüber. V. Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. A. 1849 N. 13.

tur. Vitâ igitur, quae ad rei publicae curam pertinebat, exstinctâ vel in arctum compulsâ, nihil aliud reliquum erat, quam ut Romani maiori studio et amore se litteris artibusque traderent. Atque ad seditiosorum animos turbidos magis magisque placandos et componendos, maxime quidem contulit Augusti imperium mite; quo factum est, ut eadem palma immortalitatis, quae alias rebus tantum domi militiaeque bene gestis contigisset, nunc ipsius principis auspiciis etiam poëtis porrigeretur (cfr. Petschar. De Sat. Horat. Rudolfw. 1877).

Inter poëtas graecos, ad quos illius aetatis Romani animos studiaque converterunt, Alexandrinos in primis esse nominandos, satis constat. Quamvis Romani in pedisequa Alexandrinorum imitatione adsidui non fuerint, sed potius multa et praeclara carmina suapte ingenii vi condiderint; tamen id negari non potest, nonnumquam illorum operum colorem, ut ita dicamus, poëticum et proprietates similia esse Alexandrinorum poëtarum scribendi rationi; quorum, de verbis potius quam de rebus laborantium, erant virtutes praecipuae vis oratoria magis quam poëtica, versus expoliti quidem omnibusque numeris absoluti, sed saepius nil praeter sonum inanem atque ineptias continentes (cfr. Barkholt. op cit. p. 1. seqq. et Campe. Litterarische Tendenzen. cett. l. l.).

Cum hanc novam et elegantiorem quasi vestem Romanorum poësis induisset, necessario factum est, ut antiquiores poëtae, rudes et inelegantes, in dies magis neglegerentur vel spernerentur. Quod, ut fit plerumque, non omnes probabant; quin immo complures Romae erant, qui novo poësis generi eiusque fautoribus adversarentur, tum infensi recentioribus poëtis, tum summo studio antiquos prosequentes, horum causam pugnaciter tuendo et in eos, qui secus sentirent, invehendo.

Itaque in urbe paulatim de poësis rationibus duae quasi scholae exstiterunt, cum altera, exemplaribus graecis adhaerens, politiorem elegantioremque poësis formam affectaret,

altera vero, quae antiquariorum dici poterat, quidlibet novi sperneret veterumque poëtarum simplicitate ac ieiunitate summopere delectaretur [1]).

Illius novae scholae principes et quasi signiferi Horatius Vergiliusque prodierunt [2]). Quod si quaeratur, quonam modo Horatius ei certamini, quod inter aequales de poësis rationibus erat, interfuerit, fatendum est, eum nimis fortasse severum et aliquando etiam iniquum veterum poëtarum iudicem evasisse.

---

1) De hac re optime egit L. Muellerus in opusculo, cui inscripsit: «Q. Horatius Flaccus. Eine litterarhistorische Biographie. Leipz. 1880». Cfr. etiam Atto Vannucci, Studi storici e morali sulla Letteratura latina 1871. p. 394 seqq.

2) Cfr. Mueller. in op. laud.: Q. Horatius Flaccus, Eine litterarhist. Biogr. cett. — Augusteae aetatis scriptores quantum distent (quod ad linguam scribendique rationem spectat) a superiorum temporum scriptoribus, facile agnoscere si volumus, satis est Lucretii opus «De natura rerum» cum Vergilii Georgicis componere: quot sunt formae vel ad linguam vel ad syntaxim pertinentes in huius poëtae opere, quae non reperiantur apud priorem! In Horatio quoque (etsi hunc cum nullo superiore Romanorum poëta conferre possumus) grammaticae occurrunt constructiones et novae locutiones, ex quibus confici posse videatur, eius lyram (quam se primum in Latinos vulgasse, cum gloria fatetur) magna ex parte graecam fuisse. —

Cum de Horatio (de hoc enim tantum poëta hîc sermo esse debet) novae scholae principe loquimur, id intellegi volumus, Horatium ea de causa antesignanum novi poësis generis dici posse, quod nobiliorem pulcri sensum, exemplaribus graecis nutritum et institutum, in Romanorum Parnasum inferre eorumque animos, de poësis forma non laborantes, ad elegantiam informare cupiebat. Quod et exemplis, quae ipse dedit, et praeceptis, quae cum ubique, tum potissimum in Epistola ad Pisones tradidit, certe est adsecutus. Ceterum constat, Horatium Asiaticorum vel rectius Alexandrinorum scholam (cfr. Campe. locc. laudd.), quae verius Antiquariorum scholae opponitur, non minus sprevisse quam hanc; et iure quidem meritoque; nam, cum virtus medium inter partes extremas obtineat locum, hae sunt plerumque vitiosae. Fatendum est tamen, Flaccum neque saepe neque tam vehementer contra Alexandrinos indignatione irâque affici ut contra antiquarios. Semel bisve tantum loquitur de pulcro Hermogene et de simio isto, qui erat «nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum» (S.

Amicos et socios, qui studium et artem pariter atque ipse polite scribendi excolebant et quorum, ut ita dicamus, dux ipse erat in hac, quam suscepit, contra Antiquarios pugna, enumerat Horatius (praeter alios locos, passim) Sat. I, 10, v. 81 seqq:

«Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque.
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messalla, tuo cum fratre, simulque
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos» .... e. q. s.

Scite de hac nova schola, cuius princeps exstitit Horatius, loquitur Neissnerus in opusculo, quod inscribitur: « Der Kampf des Horaz für eine bessere Geschmacksrichtung in der römischen Poesie. Dresden. 1867. p. 6: In diesem (Horaz) fixirte sich, so zu sagen, die ganze Richtung. Er zieht mit fester Hand die Grenzlinie zwischen der alten und neuen Zeit, indem er mit Ernst für seine Sache in die Schranken tritt und für sie Propaganda zu machen sucht. Es handelte sich hierbei um die Widerlegung der Gegner, die Zurecht-

---

1,10, 19). Itaque non Alexandrinos, sed Antiquarios potissimum Horatius flagellat. Huius rei causa facile intellegi potest, si familiaritas, qua erat Horatius cum Maecenate coniunctus, prae oculis habeatur. Maecenas enim quin Alexandrinorum scholae nimis faverit, non est dubium. Notum est, Augustum (qui erat «*genus elegans et temperatum*» et pari fastidio «*cacozelos et antiquarios*, ut diverso genere vitiosos sprevit exagitabatque nonnumquam» —cfr. Suet. Aug. 86 — et tum ab «*ineptiis et concinnitate*» illius scholae, tum ab huius «*fetoribus reconditorum verborum*» abhorrebat), notum est, inquam, Augustum Maecenatis «μυροβρεχεῖς cincinnos» derisisse. In Dial. de Orat. 26, Tacitus, sive alius est huius operis scriptor, loquitur de «calamistris Maecenatis». Praeterea exstant pauci huius generis versus, quos Maecenas Horatio misit: «Lucentes, mea vita, nec smaragdos Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes, Nec percandida margarita quaero, Nec quos Thynia lima perpolivit, Anellos nec iaspios Lapillos». Exstat etiam apud

weisung der zahlreichen Poetaster und die Darstellung der eigenen Principien».

Antiquorum poëtarum partibus favebant critici seu grammatici (Ep. II, 1,51), vulgus (Ep. II, 1, 63), patres (Ep. II, 1, 81), quorum omnium ineptas perversasque sententias exponit Horatius in pulcherrima Epistola ad Augustum. - cfr. vv. 21-22: «nisi quae terris semota suisque Temporibus defuncta videt, fastidit et odit»; v. 49: «miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit»; v. 54: «adeo sanctum est vetus omne poëma» vv. 60-62: «hos ediscit et hos arto stipata theatro Spectat Roma potens, habet hos numeratque poëtas Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo». Cfr. praeterea vv. 78-85, et alibi.

Ut prava Romanorum opinio de veteribus poëtis, in caelum quasi elatis, corrigeretur, ipsique ad saniorem poësis aestimationem adducerentur, Horatio non modo con-

---

Macr. II, 4, 12 παρῳδία quaedam huius carminis in epistola, quam misit Augustus ad Maecenatem: «Vale, mi ebenum Medulliae, ebur ex Etruria, lasar Arretinum, adamas Supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, iaspi Iguvinorum, berullae Porsennae, Carbunculum Hadriae, ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα moecharum».

Non modo in poësi, sed et in eloquentia atque historia, duas diversas scholas Romae circa Augusti tempora exstitisse, ac rectam viam, ab extremis aeque remotam, ingressos esse Ciceronem et Livium, demonstrat Campe (Iahrbücher für Phil. l. l.).

Denique (ad hanc rem quod attinet) in ea nos esse opinione fatemur, vehementer errare qui credunt, Horatium epistolam primam libri secundi Augusto misisse ut, antiquariorum scholâ derisâ atque contemptâ, Augustum ipsum, qui hanc scholam nimis foveret, oblique carperet. Sed antiquariorum doctrinis Augustum adversatum esse, satis elucet ex testimonio Suet. Aug. 86 nuper laudato. Quod si quis aliud testimonium eiusdem Suetonii (Aug. 89) adferat, qui scribit, «Augustum plane poëmatum non imperitum delectari etiam comoedia veteri et saepe eam exhibuisse spectaculis publicis» nos recogitare recte iubet Schütz. (in Horat. suo ad Ep. II, 1), ibi Suetonium de antiqua tantum Graecorum comoedia (ἀρχαία κωμῳδία), quam Horatius non minus atque Augustus habebat in deliciis, non de Plauti, Caecilii, Attae fabulis loqui.

tra grammaticos erat decertandum, quibus veteres poëtae maxime accepti erant quorumque in verba vulgus iurabat, sed et ipsorum veterum poëtarum virtutes erant extenuandae atque abiciendae, ut, eorum vitiis ab Horatio detectis et in lucem prolatis, Romani a veteris poësis cultu avocarentur.

Neque grammaticos armis in Horatium abstinuisse, immo summa vi adlaborasse, ut sua auctoritate uterentur ad defendendas poësis priscae leges, ex ira elucet, qua Horatius contra eos affectus est: «Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor, Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor». Ep. I, 19, 39 seq; et alibi. Cfr. Barkholt. op. cit. pag. 5 seq.

Tali igitur rerum condicione Horatius acerrimus de veteribus Romanorum poëtis exstitit iudex neque semper servavit modum, quamquam in universum eum recte sensisse, censendum est [1]). Primum enim hisce verbis:

Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum inlepideve putetur, sed quia nuper,
*Nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci*»,

Ep. II, 1, 76 seqq. omnem laudem iis demere videtur. Deinde cunctos Romanorum veteres poëtas compluribus vitiis laborare, ita iudicat generatim atque universe:

«Si *quaedam nimis antique*, si *pleraque dure*
Dicere credit eos, *ignave multa fatetur*,
Et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo». Ep. II, 1, 66 seqq [2]).

Huiuscemodi iudicia, quae maxime ad versuum et voca-

---

1) Cfr. Neissnerus op. laud. p. 9: «Man kann diese Urtheile wohl etwas schroff finden; jedoch von seinem Standpunkte aus erscheinen sie sehr begreiflich». Cfr. etiam L. Muellerus «Q. Hor. Flaccus» cett. p. 54: «Im Ganzen und Grossen wird man dem Tadel des Horaz unbedingt beipflichten, und selbst wenn man hier und da sein Urtheil zu streng befinden sollte, dasselbe vom Gesichtspunkt des Kunstdichters einer fortgeschrittenen Zeit, dem die klassischen Muster der Griechen zur Richtschnur dienten, durchaus erklärlich finden».

2) Cfr Barkholt. op. cit. p. 6.

bulorum naturam spectant, secundum ea, quae, de augustea aetate [1]) et horatianae poësis legibus disserentes, superius diximus, vix mira nobis videri possunt. Itaque cum Horatius, novae scholae princeps, de poëtis, quos Antiquarii solos adamabant, ita communiter iudicet, quaeritur nunc proprie, quo iure de Lucilio sententias, superius expositas, tulerit, quatenus iis vitiis, quae ei S. I, 4 et S. I, 10 poëta Venusinus exprobrat, magnus Auruncae alumnus revera prematur.

Primum quidem est dolendum, quod triginta saturarum librorum, quotquot conscripsisse Lucilium constat [2]), tam exiguae et lacerae ad nos pervenerunt reliquiae. Iure quidem meritoque adfirmare nobis videtur Muellerus in «Rheinisches Museum. XVII p. 195»: Ich stehe nicht an zu behaupten, dass der Verlust keines Werkes aus den republikanischen Zeiten Roms in gleicher Weise und aus gleich vielen Ursachen bedauert werden muss, als der Untergang der Lucilischen Satiren» e. q. s. Cfr. etiam Patin (Journal des Savants 1846 p. 63) et Labitte (Revue des deux Mondes l. l.). Quae fere eadem iam multis annis ante questus erat Franciscus Dousa in editione Lucilii (sup. laud.): «Maximam profecto iacturam in illius (i.e. Lucilii) operum interitu litteras romanas fecisse,

---

1) Ovidius quoque, se Augusti temporibus natum esse gratulatur: «. . . . quia cultus adest, nec nostros mansit in annos Rusticitas, priscis illa superstes avis (Ars Am. 3, 127 sq.) —.

2) «Fragmentum e libro XLIII», quod legitur apud Charisium ed. Putsch. p. 72, numerum depravatum exhibere, prona est suspicio. Iam Dousa p. 99 miratus, ex tot libris nullum fragmentum exstare, hoc fragmentum libro XXIII (nescimus qua ratione adductus) adsignavit. Rectius, nostrâ sententiâ, libro XIV tribuendum esse, censuit Petermann. (op. cit. p. 32); nam Codex Neapolitanus et editio princeps Charisii (cfr. Lind. ad Char. I, 17, 75) praebent numerum illum sic scriptum: XIIII. Facile fieri potuit, ut prima lineola in ima parte producta pro *L* legeretur. Duo denique fragmenta, quae in Stephani editione e libro XXXIX adferuntur, omnes editiones e libro XXIX exhibent.

hae ipsae quamvis turpiter lacerae fragmentorum reliquiae quemvis satis commonefacere possint. Certe luculentissimum nobis exemplar suppetisset, in quo romanae festivitatis antiquam et vernaculam venerem licuisset agnoscere».

Quae cum ita sint ac talis satirarum scriptoris disiecta solum supersint membra, satis adparet, difficillimum esse de oratione et elocutione poëtae accuratam interpretationem instituere, quo melius Horatii iudicia perpendantur. In tam paucis enim et laceris fragmentis permulta obscura, nonnulla sensu prorsus cassa videntur [1]). Praeterea quominus iuste de Lucilii oratione iudicemus, ea etiam re prohibemur, quod Lucilii satirarum fragmenta tam corrupta et dispersa nexuque orbata semper visa sunt, ut magnas coniciendi et saepe a vero aberrandi opportunitates praebuerint; ideoque certi et explorati vix quidquam polliceantur. Temerariis autem coniecturis in fragmentis poëtarum restituendis prorsus abstinendum esse, recte scribit Fürth. (Quaest. Luc. Bonn. 1865 p. 4) [2]).

---

1) Cfr. Kleinschmit. De Lucilii satir. script. genere dicendi. Marburg. 1883 p. 2—. Praeterea recte animadvertit Muellerus (in Praefat. Luc. Sat. Fragm. cett.) facilem esse inter viros doctos consensionem, praeter Plauti libros nihil corruptum magis reperiri in litteris latinis quam Lucilii scripta.

2) Conferantur velimus etiam quae disseruit Muellerus in Praefat. Luc. ed.: «Iam saturam vel unam integram restituere non licuit nobis. Nec id mirum. Propria enim satirici carminis ratio, quod ordinis legitimi ac nexus nimiam respuit severitatem, ne id contingat videtur obstare. Accedit quod Lucilii carmina argumenti ut minus aliquanto intricati ac digressionum pleni Varronianis, ita magis varii ac diffusi utique fuerunt Horatianis. Atqui ne Horatii quidem, si perissent, saturarum ullam refingere possemus de coniectura».

Hac etiam de causa neminem quidem fugit, satis esse difficile de argumentis singulorum librorum disputare. In hac quoque re vere dictum videtur, quot capita, tot esse sententias. De nullius ferme libri materia convenit inter viros doctos. Quod ut perspicuum fiat, satis est inspicere quae Gerlachius, Schönbechius, Corpetus, Heusdius, Petermannus, alii, de librorum argumentis proposuerunt — Huius rei causa in eo

Magnae igitur habendae sunt gratiae Luciano Muellero, qui nuper Lucilii satirarum reliquiis emendatis ac partim alia ratione dispositis splendidissimam lucem affudit. Atque iam hoc loco nobis admonendum esse videtur, nos ex Muelleri editione Lucilii versus, ut attulimus, ita semper esse allaturos, cum haec ceteris superioribus editionibus (in praefatione laudatis), atque adeo Lachmannianae, a Vahleno anno 1876 in lucem missae, Kleinschmitio quoque iudice (p. 2), sit praeferenda.

Ex paucis igitur (pro triginta satirarum libris), quae aetatem tulerunt, fragmentis et ex aliorum scriptorum locis atque testimoniis, satis quidem, si non multum, colligi potest, ut Horatii de Lucilio sententiae diiudicentur ac perpendantur [1]).

---

potissimum est requirenda, quod grammatici, qui fragmenta servarunt (in quibus Nonius est nominandus, plurimis vitiis scatens — cfr. Maii iudicium ad Cic. de Rep. p. 52 praef. ed. Moser. —, saepenumero tamen librariorum neglegentiae, potius quam ei ipsi tribuendis. cfr. L. Mueller. De re metr. Lips. 1861. p. 29, 39 et 80), perraro totam sententiam compluribus versibus comprehensam apponunt, sed, ut plurimum, in eo elaborant, ut vocabulum aliquod singulare explicent aut constructionem insolitam enucleent (cfr. Petermann. p. 21.). Aliquid adiumenti in hac investigatione suppeditare possunt scriptorum praecipue testimonia, de argumentis unius alteriusve libri prolata. Quod spectat ad argumentum libri I, cfr. Servius ad Verg. Æn. X, 104; Lactant. Inst. Div. IV. 3; libri III, cfr. Comm. Cruq. ad Horat. S. 1, 5, initio; libri IV, cfr. Gloss. in Pers. Sat. III, 1; libri V, cfr. Gell. XVIII. 8, 1; Charis. I, 18 p. 56 ed. Linden.; libri IX, cfr. Quint. Inst. Or. I, 7; Schol. ad Horat. Sat. I, 10, 53, alii; libri X, cfr. Gloss. in Vita Auli Persii; libri XVI, cfr. Schol. ad Horat. Od. I, 22, 10; Priscian. III, 1, 8; libri XXII, cfr. Donat. ad Terent. Phorm. II, 1, 57.

Ad reliquorum librorum argumenta plus minus declaranda desunt veterum testimonia; de iis, ex corruptissimis fragmentis, quae supersunt, licet tantum coniecturam facere, saepius vero temere hariolari vel inepte nugari.

1) Quae iudicia de scriptoribus et litteris latinis in universum protulit Horatius, ea maximi quidem sunt pendenda. Tametsi non facimus cum nonnullis viris doctis, praecipue germanicis, qui veri poëtae naturam et ingenium ab Horatio abiudicant (cfr. Teuffel. «Die Characteristik des Horaz. Leipzig. 1842» p. 19), tamen id non est negandum, Flaccum propensiorem

Ac primum id exprobrat Lucilio Horatius, quod omnibus veteribus poëtis in universum vitio tribuit, versuum asperitatem et scribendi incuriam. Cfr. S. I, 4, 8 coll. cum. S. I, 10, 1, et S. I, 10, 58 [1]). Quamquam hoc iudicium nonnullis viris doctis minus aequum videtur, tamen et ob eas rationes, quas in scriptura Lucilius sequitur et ob insolentias, quae a-

---

ad artem criticam indolem, atque animum ad res, quas sibi subiungere studebat (Ep. I, 1, 19), placide considerandas magis idoneum esse sortitum, quam ut poëta «cui sit..... mens divinior atque os Magna sonaturum» (S, I, 4, 43), evadere potuisset. Ut praetermittamus multos locos, ubi eadem de se ipso fatetur (S. I, 4, 39; II, 1, 12; Od. II, 16, 39...), Horatius S. I, 10, 56 seqq. eam sibi libertatem de scriptoribus iudicandi vindicat, qua Lucilius ipse usus sit, et Ep. II, 3, 304 se vice cotis fungi scribit «acutum Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi». Neque his locis vocem tamquam modesti viri facultatem suam extenuantis audire credas, sed potius scriptoris, qui muneris et officii, ad quod a natura ipsa quasi fuerit vocatus, conscius sibi admodum est. Eius itaque iudicia, ut rursus dicamus, magni sunt ponderis; Horatius enim criticus idemque poëta, quae in poësi sint fugienda quaeque sequenda, non solum praeceptis, sed etiam suo exemplo demonstravit. — Hinc recte scribere nobis videtur Iahnus (in Prolegg. ad Pers. Sat. Lips. 1843): «Horatius quamquam in universum aevo suo non parcit, nusquam tamen gravius commovetur et acrius veriusque satirae suae aculeum intendit, *quam ubi de litterarum condicione agit*, neque quemquam potest fugere, *ea in re* summam Horatii *vim atque auctoritatem* esse positam». Praeterea L. Muellerus in op. laud. «Quintus Ennius cett.» iure quidem optimo nominat Horatium «den feinsten Aesthetiker Rom 's.»

Ceterum facere non possumus, quin hoc addamus, Horatium de Lucilio iudicia ferentem, non ab omni remotum suspicione putandum esse, duabus maxime de causis, primum, quod idem poësis genus, quo floruerat Lucilius, excoluit, ideoque non omni vacuum invidia (ut in tali rerum condicione plerumque fit) eum exstitisse sit censendum; deinde, quod Horatius falsas aequalium opiniones de antiquioribus poëtis animose impugnans, suam quasi rem agere sibi videbatur; nam semetipsum defendere putabat contra illa criticorum poëtarumque plus quidem numero quam ingenio valentium collegia, quae tunc Romae primas sibi arrogabant.

1) Ausonius quoque (Ep. XV, 9) Lucilii satiras circumscribendo vocat: «*rudes* Camenas ..... Suessae».

pud eum occurrunt, rectum esse contendimus. Sed est fatendum, id potius a temporum condicionibus, quam ab ingenio Lucilii profectum esse; nam, ut bene scribit Muellerus (Luc. ed. p. 291) «ista non tam pertinent ad Lucilium carpendum quam ad perstringendos oblique Horatii aequalium eos, qui nimia Lucilii admiratione cum tenerentur, vitia potius eius, quam virtutes, imitanda sibi ducerent».

Et primum quidem res satis est nota, in lucilianis versibus permulta reperiri exempla litterae *s* in exitu verborum omissae, quae desinant in *is*, *us* [1]). Atque hunc usum non ad solum Lucilium pertinere, sed plerisque antiquis poëtis (ut Ennio et etiam Lucretio) fuisse communem satis constat. Hanc licentiam ex cotidiano sermone ortam (Cfr. Schneider. gramm. lat. I, 351 et II, 142) et a veteribus poëtis metri necessitate adstrictis usurpatam, recentiores fugere coeperunt, et recte quidem, cum minime esset legitima et elegans, ut docet Muellerus (de re metr. poëtt. latt, Lips. 1861 p. 344). Subrusticam esse hanc licentiam ait Cicero (Orat. 48. 161), hisce verbis usus: «quin etiam, quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in *optumus*, postremam litteram detrahebant, nisi vocalis insequebatur [2])». Ac

---

1) Cfr. Gerlach. (in Prolegg. p. 120) — et Kleinschmit. op. cit. p. 4 — Ceterum statim monitos volumus lectores, in hac brevi, quam sumus suscepturi, de Lucilii genere dicendi investigatione, non parum nobis profuisse Kleinschmitii disputationem, qui sine dubio in suo munere fungendo multum operae et doctrinae impendit. Hoc loco eam laudasse satis sit, ne eius scriptoris nomen saepius interponatur.

2) Haec litterae *s* apocope post Lucretium iam evanuit ex usu poëtarum latinorum, si excipias Catullum, qui unum tantum exemplum praebet 116, 8: «tu dabi' supplicium». De hac re consulendus est praecipue Corssenus in eximio opere, quod inscribitur: «Aussprache, Vocalismus und Betonnung der lateinischen Sprache. Lips. 1868». I. 292. Quae quidem littera vel scribitur et lectoribus omittenda relinquitur, vel omittitur, detractionis signo, i. e. apostropho, collocato; quam rationem recentiores Lucilii fragmentorum editores sunt secuti.

Lucilius ea licentia ita usus vel potius abusus est, ut plerique scriptores, qui huius rei mentionem faciunt, Lucilii versus adferant, velut Quintilianus Inst. Or. IX, 4, 38 (Cfr. Gerlach. in Prolegg. p. 121). Huius licentiae exempla ad quintum hexametri pedem plerumque pertinent. Quod facile quisque explicare potest, modo reputet, has formas maxime convenire poëtae, qui in eo loco integrum dactylum desiderat. Cfr. I. 3. 6. 10. 43 . . . III, 49, 65 . . .; IV, I. 2. 8 . .; VII 1. 31. Quin immo in eodem versu etiam triplicis apocopes exempla reperiuntur: IX. 28: «intu' modo stet rectu' foris subtemini' panus». et XIV. 23:» ipse ecu' non formonsu', gradarius, optimu' vector». Sed hanc litterae *s* detractionem etiam in graecis vocabulis admisit, quod veteres, ut credimus, nusquam ausi sunt. Cfr. fragm. v. 62 ex inc.: «Crassum habeo generum ne rhetoricotero' tu sis», et XXX, 110: «hic ut muscipulae tentae atque ut scorpio' cauda». Alia licentiae genera, quae sibi sumpsit Lucilius, notat Gerlachius (in Prolegg.), qui ex. grat. adfert etiam versus, ubi littera *m* in fine syllabarum, sequente vocali, non semper eliditur, sed aliquoties retinetur atque corripitur, vel alia hiatus genera (quae nonnumquam et augusteae aetatis poëtis fuerunt usitata) occurrunt.

Plura omittuntur brevitatis causa. Quod pertinet ad Lucilii orthographiam, quae ad vocales spectat, haec ad nostram rem fere sunt observanda. Exempla litterae simplicis *e* pro diphthongo *ae* (quam scripturam rustici esse docet Varro, de l. l. VII. 96)[1]) multa sane exstant in Lucilii satiris; sed in iudicando de hac re et quae sunt huiuscemodi, caute est agendum, ne forte in unum confundantur quae ad Lucilium pertinere, et quae librariorum neglegentiae vel temporum rationi ac consuetudini tribuenda esse videantur. Qua de re eo

---

1) Cfr. etiam Luc. fragm. IX. 10.: «Cecilius pretor ne rusticu' flat.» et quae ibi docet Corpetus. (fragm. ex inc. 98).

prudentius est iudicandum, quod (ut monet Muellerus. Quaest. Luc. p. 42 Luc. ed.) cum hae «orthographicae insolentiae antiquissimi sermonis speciem prae se ferunt, saepe eodem iure ad ultima imperii romani vel prima medii aevi saecula, quam ad Ennii Luciliique referri possunt tempora». Quod ad scripturam litterae simplicis *e* pro diphthongo *ae* attinet, cfr. V, 6, merore; XXVI, 36, erumna; XXX, 125, fenu.... cett. Lucilius etiam metri necessitate adductus saepe antiquam genetivi casus formam in *ai* usurpat.

Praeterea in satiris lucilianis suffixa, quae nunc exeunt in *imus*, per *u* scribuntur, more antiquo (cfr. Corssen. op. cit. I, 331 et II, 128.); apud Lucilium legitur: XXVI, 11, maxume, XXVII. 37, pessumum; XXVIII, 45, optume; quam scripturam C. Caesaris demum temporibus evanuisse docent Cornut. apud Cassiod. p. 2284 P. et Vel. Long. p. 2216 P. qui testatur, Ciceronem eam appellasse rusticam.

Frequentia sunt apud Lucilium litterarum syncopes exempla: cfr. I, 40, miracla; II, 9, invasse (pro invasisse); III, 65, depostus; VIII, 3, poclo; XXIX. 35, hercle; XXIX, 66, scripse, ex inc. 33, compostae.... cett.; hisque formis (a quibus etiam scriptores aevi augustei non semper abhorruerunt) utitur saepius Lucilius metri dira necessitate coactus, quippe quae aptius quadrent in numeros heroicos.

Alia antiquitatis vestigia [1]), quae in Lucilii satiris deprehendimus, haec fere sunt: In verbo auxiliari, quod ita vocant, *esse* Lucilius frequentissime usurpat veteres formas, quae sunt *siem*, *sies*, *siet* pro *sim*, *sis*, *sit*.; cfr. I. 11; IX. 27; XXVI. 19; ex inc. 23; fragm. IX. 36 praebet «*intersiet*». Hae pleniores sermonis prisci formae perspiciuntur etiam in verbo, quod est

---

1) Quamquam Horatius diserte vel distincte non carpit in Lucilio verborum antiquitatem, tamen hoc vitium quoque ei tacite vel oblique vitio dari efficitur cum ex satt. quarta et decima, ubi de Lucilii asperitate atque incuria agitur, tum ex Ep. II, 1, 64 seqq., ubi de veterum poëtarum scribendi ratione in universum iudicatur et potissimum ex v. 66.

*posse*; Lucilius enim non aliter ac ceteri antiqui poëtae, ut in aliis verbis compositis, ita in hoc (quod, ut compertum exploratumque est, ex *potis* et *esse* constat) duas partes nonnumquam segregatas ponit, cfr. III, 71, *potis est*; V. 48, *potis esse* (ut praebent libri); saepe vero huius verbi formae apud Lucilium non ita coaluisse videntur, ut in posterioris aetatis lingua. cfr. I. 14, *potissit*; V. 46, *potesset*; XXX. 108, *potesse*; ex inc. 88, *potissunt* cett.

Multa verba, quae Ciceronis aetate *deponentia* sunt, olim sine dubio *activa* erant et cum casu accusativo coniungebantur [1]). Itaque non est mirandum, etiam a Lucilio, more antiquo, verbo, quod est *fungor*, activam formam, tribui XXVI, 22, vel idem cum accusativo coniungi I. 37; «munu' tamen fungi» cett. V. 51: «Laeviu' pauperem ait se ingentia munera fungi». Eadem structura occurrit apud Lucilium in verbo, quod est *utor*. Huic verbo activa forma adsignatur III. 49: «Malas tollimu' nos..., adque utimu' rictu». Idem cum quarto casu coniungitur XIV. 16: «quem metuas saepe, quem utare libenter». Quae exempla laudantur a Nonio (voc. accus. pos. pro abl.), qui insuper locos apud Titinium, Plautum, Turpilium, Pacuvium adfert. Cfr. praeterea apud Luc. XI. 9, *meret*; XXX. 121, *mereas*; XXIX. 10, *partiret*; quam formam propriam esse antiquorum docet etiam Prisc. 86. 29 [2]).

---

1) Hanc structuram, quae a classicis, qui dicuntur, scriptoribus prorsus aliena est, priorem atque legitimam fuisse ex gerundivi forma, quae semper mansit et recte usurpatur, satis liquet; (bene enim dicitur res *fruenda*, *utenda* cett.).

2) Ad haec antiquitatis vestigia in lucilianis satiris non referendos esse putamus infinitivos praesentis passivi a Lucilio saepe, more antiquo, in *ier* formatos; haec enim forma non solum in vetustis inscriptionibus et apud antiquos poëtas reperitur, sed etiam viguit apud classicos scriptores. Satis sit Horatium, Vergilium, Propertium inspicere; quos locos omnes collegit Neue (Formenlehre der lateinischen Sprache. II. 409. Berolini 1877).

In lucilianis denique fragmentis exstant multa, quae non solum sunt obsoleta et nonnumquam a grammaticorum regulis (ab iis saltem, quae posterius invaluerunt) prorsus abhorrent [1]), sed quibus etiam posteriore aetate alia significatio et vis fuit tributa. Quae in declinatione substantivorum et coniugatione verborum Lucilii propria sunt vel ab augusteae aetatis scriptoribus aliena, ea diligenter congessit Fürth. (Quaest. Lucil. Bonn. 1865 p. 30 seqq.).

Sed hac veterum formarum recensione, quae tum apud Lucilium, tum apud antiquos poëtas in universum occurrunt (cfr. Ribbeck. Trag. lat. rell. Lips. 1852), iam nobis esse supersedendum ducimus, ne actam rem agere videamur, cum de ea re fuse vel obiter disseruerint, praeter alios, Gerlachius (in Prolegg. ad Luc. Satir. Reliq. cett.), Muellerus (de re metr. poëtt. latt. Lips. 1861), Neue (Formenlehre der..... cett.), Buechelerus (Grundriss der lateinisch. Deklination. Bonn. 1879), Kleinschmit. (op. laud.), Schmidt. (C. Luc. Satir. quae de libro nono supersunt dispos. et ordin. Berlin. 1840).

Nobis tantum concludere liceat, non id esse mirandum, quod hae, quas exempli gratia attulimus, obsoletae et duriores formae mollibus et teretibus Horatii eiusque aequalium, qui

---

1) Huiuscemodi soloecismorum exemplum adfert Gerlachius apud Lucilium «sole occaso» (II. 3. G. et C.; II, v. 29. M.) et facete haec adscribit: «quae omnia sunt eiusmodi, ut Lucilium eadem libertate, qua mores aequalium irridebat, etiam vulgares grammaticorum regulas excessisse statuas». Quamquam suspicio non abest, quin soloecismi saepe exempli causa a Lucilio allati fuerint, ut recte loquendi scribendique regulas statueret. Cfr. Quint. I, 5 et praesertim Isid. I. 22, 5, qui testatur, Lucilium centum genera soloecismorum dixisse «quos omnes vitare potius quam sequi debet, qui regulam recte loquendi tenere studet». Praeterea huc etiam referri posse videtur locus apud Pompeium (de barbarismo p. 430. ed. Lind). ubi Jahnus (in edit. Pers. Sat.), comparato Isidori loco, Lucilium pro Lucio scribendum esse censuit.

idem atque ipse de poësis rationibus sentiebant, auribus displicebant [1]), sed alia ex parte veniam esse dandam Lucilio, qui eo sermone est usus, qui tunc erat in ore Romanorum.

Hactenus de orationis lucilianae forma in universum. Quod vero spectat ad versuum naturam, quorum asperitas Lucilio ab Horatio exprobratur, is non recte iudicare videtur Muellero, qui scribit (in edit. Luc. p. 291): «Hoc iudicium (Horatii), quod ad dactylicos Lucilii pertinet, vereor, ne sit minus aequum. Nam praeter hexametros paucissimos caesura carentes [2]) et asperiora quaedam synizesis exempla et elisionis, quibus accedunt non nimis raro spondiaca vocabula secundum pedem explentia vel productae iure caesurae et minores quaedam insolentiae, quid tantopere in numeris lucilianis displicuerit non video, qui mihi nequaquam videntur sordere multum prae Horatii saturarum». e. q. s. In Lucilii versibus saepe caesuram neglectam notavit etiam Van Heusde (Stud. critica cett.) et productionem syllabae brevis vel in arsi positae vel accedente vi caesurae, atque correptionem syllabae longae ante vocabula a vocali incipientia vituperavit Fürth., huiusmodi licentiae exemplis allatis (op. cit. p. 26 seqq.). Quasvis syllabas etiam in thesi Lucilium produxisse scribit Gerlachius (in Prolegg. cett.), sed eum refutavit Bouterwekius (op. cit. p. 10 seqq.) [3]).

---

1) Hinc iure suo quaerit Horatius; «Quis tam Lucili fautor inepte est Ut non hoc fateatur?» cett. S. I, 10, 2 seqq.

2) Boutervekius (Quaest. Lucilianae. Elberf. 1867. p. 31) scribit, Lucilium caesuram nusquam omisisse, sed fere semper caesurâ legitimâ, i. e. post tertiam arsim (quae est τομὴ πενθημιμερής) usum esse, perpaucos tantum versus apud eum cum sola semipedis septimi caesura incedere; cuius generis laudat exempla sex.

3) Cfr. praeterea quae de hac re disputavit Herwig. (in op. Horatius quatenus recte de Lucilio iudicaverit. Halis Sax. 1873). Id autem mirum, Lucilium, qui tantam sibi licentiam libertatemque in versibus componendis concessit, numquam nisi perraro (cum tria tantum certa exstent exempla) spondaicorum versuum consectationi indulsisse.

In versibus lucilianis occurrunt quoque exempla illius formae, quae fit ex crebra vocalium concursione et *hiatus* appellatur. Hanc formam, quam plerumque vitiosam habuerunt posterioris aetatis scriptores, communem fuisse veteribus poëtis in universum, etiam ex loco apud Ciceronem, Orat. 44. 150, liquet, qui scribit, illos ut versus facerent, saepe hiasse [1]).

Sed maxime in Lucilii numeris displicuisse oportuit frequentes illas, quibus et in fragmentis offendimur, alliterationis, quae dicitur, tmesis, asyndetorum hyperbatorumque formas. Quod ad alliterationem spectat, quae ex vocabulis ab eadem littera vel syllaba incipientibus efficitur [2]), recte scribit

---

In philologis haud ita recentibus infensior Lucilio videtur Scaliger, qui lib. VI Poëtices cap. VII, cum ex Horatio protulisset illud «Lucilium fluere lutulentum», eum ne fluere quidem censet.

1) Sed hanc licentiam non nisi perraro admisisse Lucilium oportet fateamur, si Boutervekio fidem habemus, cui quatuor tantum loci noti sunt, in quibus hiatus inter vocales sit integer. Haec vero hiatus exempla facile defendi posse videntur, cum duobus in locis vocalis producta excipiatur a vocali; tertius quasi interiectionis iure et arsi excusetur; quartus sit graecus graecis in verbis (cfr. Quaest. Luc. p. 23; Rhein. Mus. XXI, 351, 352). Nescimus quo pacto Boutervekius locum XXX. 80 (ed. C.) omiserit: «Quae quondam populi ora, aures et pectora, rumpit». (aliter apud Gerlach. XXX. 77. et aliter apud Mueller. XXX. v. 124). Forsitan ob incertam lectionem nullam huius loci rationem habuit.

Sed aliud est hiandi genus, quod tunc oritur cum syllabae in *m* desinentes ante vocalem non eliduntur. Huius hiatus sex exempla laudat Schmidtius (progr. cit. p. 16-18), hisque unum addidit Gerlachius (in Prolegg. p. CXXIV) et alterum L. Muellerus (de r. m. p. 427). Quamvis Lucilio non dedecori esset, id fecisse, quod et Lucretio et Horatio non fuit indecorum (de qua re cfr. Bouterwek. Rhein. Mus. l. l.), tamen certa huius usus vestigia deprehendi in reliquiis lucilianis negat idem vir doctus (Quaest. Luc. p. 26), qui contra monet, Lucilium in *elisione* vocalium non sine quadam licentia versatum esse (p. 28).

2) Optime de alliteratione apud Lucilium egit Jos. Stowasser. in opusculo, cui est inscriptio: «Der Hexameter des Lucil.» p. 11-13. (V. Jahresbericht des k. k. Staatsgymnasium im IX Bezirke in Wien, für das Schuljahr 1879-1880). Cfr. praeterea Mueller., de re metrica. poëtt. latt. p. 427 seqq.

Muellerus (op. cit. 453): «plerumque immodico amore talium ludibriorum ad ineptias esse delapsos veteres». Cfr. etiam Ribbeck. in edit. fragm. trag. Rom. Confitendum tamen est, Lucilium nunquam in alliteratione utenda eo usque processisse, ut versum componeret, qui consimilis sit illi enniano: «O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti» (Ann. 108 ed. Vahlen) vel illi: «At tuba terribili sonitu tarantara dixit» (ib. 537), qui versus eiusmodi sunt, ut in lusum poëticum abierint.

Alliterationis exempla apud Lucilium sunt: I. 36: mercede merent: II. 21: natibus natricem; V. 6: magno merore metuque; V. 41: vivite ventres; VI, 27: porro procedere porcent»..... cett. Facere non possumus quin his exemplis et aliud clarissimum adiciamus, quod laudat L. Muellerus in opusc.: «Leben und Werke cett. p. 42: «Vis est vita, vides; vis nos facere omnia cogit» [1]), (cfr. fragm. ex inc. v. 14).

Lucilii fragmenta etiam latissimum asperiorum asyndetorum usum praebent. Non est tamen credendum, talia poëtae nostri esse propria; immo satis constat, quam adsidui omnes fere antiqui scriptores in asyndetis usurpandis fuerint. Cuius rei praecipua est causa veterum poëtarum inscitia metri et, cum de Lucilio proprie agatur, eam in studio quoque ad cotidianum sermonem accedendi, latere existimamus; ut enim Lucilius mores et vitam communem populi romani graphice et scite admodum pinxit, ita eius sermonem exprimere voluit. Ad haec asyndetorum exempla sunt referenda II, 26: «Chirodyti aurati, ricae, thoracia, mitrae»; III. 2. 3:..... freta Messanae, Regina videbis Moenia, tum Liparas, Phacelinae templa Dianae»; VII. 12: «Rador, subvellor, de-

---

1) In hoc loco interpretando Muellerus summo opere dissentit a Varrone (cfr. de l. l. V, 63). Liceat nobis ea, quae ad hunc locum Muellerus animadvertit (p. 42), apponere «Dass das Leben ein Kampf um das Dasein ist; haben schon die Alten erkannt.... Auch die Griechen brachten «βίος» mit «βία» in Verbindung».

squamor, pumicor, ornor, Expolior, pingor»; X, 4: «Improbu', confidens, nequam, malus ut videatur.»; XXVIII. 10: «Habes omnem rem, timeo ne accuser» [1]).

Exemplis hyperbatorum, quae tunc exsistunt cum locutiones vel notiones cognatae insolenter separantur et distrahuntur, abundant satirae poëtae nostri, utpote qui saepenumero et liberius, quam par videatur, verba traiciat, ita ut haud raro multa obscura atque abstrusa occurrant. Hoc vitium ei obiectat etiam Corn. ad Her. IV, 18: «Quo in vitio (i. e. in verborum traiectione) est Lucilius adsiduus» [2]). Hae traiectiones cernuntur vel in nonnullis nominibus dividendis et transponendis (I. 3; XI. 22; XV, 11; XXVIII 54 cett.) vel in comparationibus (I. 32; VI. 12 cett.), vel denique in pronominum relativorum (II. 19; XIII. 16 cett.) et praepositionum quadam conversione. (XXVI. 94; XXVII, 48. cett.).

Sed gravissimum vitium, quo Lucilius in proverbium quasi abiit, in audaci tmesis usu deprehendebatur. Oritur haec figura, cum aliqua vox vel composita vel simplex, aliâ interiectâ, distrahitur [3]). Adsiduum in insolenti tmesis usu fuisse Lucilium, duobus potissimum testimoniis comprobatur. Porphyr. ad Horat. Ep. II. 2. 93 seq. «quanto molimine circum Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem - una pars orationis est divisa in duos versus, *Lucilii more* et antiquorum». Deinde Auson. Ep. V. 35: «Villa Lucani - mox potieris - aco - Rescisso disces componere nomine versum. *Lucili vatis* sic imitator eris [4])». Quod si tmesis exempla, quae

---

1) Plura apud Kleinschmitium (op. cit. p. 74-79), qui horum asyndetorum sex genera distinguit apud Lucilium, uniuscuiusque exemplis allatis.

2) Hunc locum depravatum esse suspicatur Marx, et pro «*Lucilius*» conicit «*Coelius*». V. argumenta ab illo prolata in opusculo, cuius est titulus: «Studia luciliana» Bonn. 1882. p. 96 seqq.

3) Cfr. Volkmann. Rhetorik der Griechen und Römer. 1872. p. 373, a Kleinschmitio laud.

4) Tertium insuper testimonium (quod Muellerus quoque memorat, sed non

in lucilianis fragmentis occurrunt, cum eo versu compares, quem ab Ennio profectum esse, constat iam inter viros doctos, i. e. «.... saxo *cere*-comminuit-*brum*», tibi est concludendum, lenibus tantum, et his non adeo frequentibus, tmesis formis usum esse Lucilium. Etenim in undetriginta prioribus libris ne unum quidem huius figurae exstat documentum [1]). Tria tantum, sed lenis tmesis exempla, quae nullo pacto cum versu enniano modo allato conferri possunt, habentur in trigesimo, v. 59: «iuratam se uni, cui sit data deque dicata»; v. 88: inluvies, scabies oculos huic deque petigo Conscendere»; v. 90: «conque tubernalem». Ex his conficitur, Lucilium non tam saepe, cum tria tantum certa exstent documenta, nec tam audacter usum esse tmesi, ut-

---

profert integrum) in medium potest adferri, h. e. versus, quos Eugenius Toletanus ad facete (vel ineptissime, ut ait Muellerus) Lucilium imitandum, παρῳδικῶς composuit. Hos versus repperimus in praefatione Dousae edit., quam Volpi fratres curarunt (Patavii, 1735):

«O *Jo* — versiculos nexos qui despicis — *annes*
«Excipe *di* — sollers si nosti iungere — *visos*.
«Cerne *ca* — pascentes dummoso in litore — *melos*
«Et *por* — triticea verrentes germina — *cellos*.
«*Ar* — sitibunda petunt lympharum pocula — *menta*
«Atque *bu* — glandiferae recubant sub tegmine — *bulci*.
«Nunc *pas* — lanigeras ducunt ad pascua — *tores*.
«*Pro* — tibi ut et nostro veniant ex carmine — *fectus*,
«*Instar Lucili* cogor disrumpere versus».

Quartum denique testimonium apponi potest. Legimus enim apud Consentium (de barbarismis et metaplasmis. Buttmann. p. 12): «Conque tubernalem» quo Lucius in metro *crebro* utitur». Pro «Lucius» legendum esse «Lucilius» recte scribit Buttmann., remque nullam dubitationem habere credimus.

1) Quae in plerisque codicibus et in editionibus muelleriana prioribus leguntur (cfr. Corpet. p. 53; Gerlach. p. 17), ubi verba sic rescissa adparent, ut altera pars ad priorem versum, altera ad sequentem pertineat, optime restituit Muellerus (p. 26), adeo ut tmesis sit sublata. Idem fere est dicendum de fragm. X. 5-6 et XXIX. 25 ed. M. (quorum scriptura alia est in aliis editionibus; cfr. de hac re Gerlach. in Prolegg. p. 128).

pote quae tantummodo occurrat in vocibus compositis, quarum prior pars est praepositio [1]). Ceterum cum testimoniis nuper allatis, quae comprobant, Lucilium crebrius et insolentius tmesim usurpavisse, fidem abrogare non possimus, nil aliud restat nisi ut confidenti animo inde colligamus, eos versus, in quibus huiuscemodi tmesis formae reperiebantur, aetatem non tulisse.

Non minus quam versus Horatio displicuit scribendi genus, quo Lucilius, propter nimiam alacritatem atque incuriam, haud ita raro usus est. Cfr. S. I, 4, 11; I, 10, 50 coll. cum S. I, 10, 69. Cfr. etiam S. I, 4, 12, coll. cum S. 10, versu 69, iam laud.

Neque est dubitandum, quin suo iure haec exprobraverit Lucilio Horatius, quippe qui cum ubique tum praesertim in Epistola ad Pisones, ut superius diximus, praecepta statuat ad recte scribendum, et nihil posse ingenium rude sine arte, contendat (Ep. II, 3, 410). Cfr. praeterea S. I, 10, 72-73: «Saepe stilum vertas iterum quae digna legi sint Scripturus»; Ep. II, 2, 109-110: «qui legitimum cupiet fecisse poëma, Cum tabulis animum censoris sumet honesti»; Ep. II, 3, 292-294; «carmen reprehendite, quod non Multa dies et multa litura coërcuit atque Perfectum deciens non castigavit ad unguem»; Ibid. v. 386 seqq: «Si quid tamen olim Scripseris..... nonumque prematur in annum..... delere licebit Quod non edideris; nescit vox missa reverti» [2]). Haec incu-

---

1) Tmesis exempla etiam apud solutae orationis scriptores nonnumquam occurrunt. Id fit praesertim cum particula *per* adiectivis ad eorum vim augendam praefigitur. Sed Cicero hanc tmesim tunc solum admittit cum coniunctiones encliticae *que* et *enim* vel pronomen *mihi* interici possunt. Cfr. de Orat.: I, 47, 205: «pergrata perque iucunda»; ad Att. 10, 1, 1: «per enim magni aestimo cett.»; de Orat. I, 49, 214: «per mihi mirum visum est». Audacioris tmesis formam adfert Gell. 18. 4. 2: «Per, inquit, magister optime, exoptatus mihi nunc venis».

2) Ovidium quoque magnam curam adhibuisse ad carmina sua expolienda, confici potest ex ipsius verbis, Trist. IV, 10, 61 seqq.: Multa qui-

ria scribendi atque garrulitas [1]) ex magna copia pleonasmorum et synonymorum, quibus utitur Lucilius, fit manifesta; sive abundantia orationis, sive repetitio verborum in satiris lucilianis prae oculis habetur [2]). Sed cum id iam ab aliis actum sit atque omnibus constet, nihil amplius addendum ducimus. Hoc tantum in universum monebimus cum Kleinschmitio, tam frequentes iterationes verborum esse artis aut nondum adultae aut iam senescentis. Si autem de Lucilio iuste iudicare volumus, ex duabus potissimum causis hanc verborum repetitionem profectam esse, nobis statuendum est: Lucilius saepius easdem dictiones adhibuit, primum, ut versus expleret, deinde, ut cotidiani sermonis vere insectator evaderet, qui, ut res est nota, non parcit verbis. Cfr. de hac re L. Mueller. (Luc. Fragm. edit. passim), qui praeterea in explanandis versibus 17-18 satirae quartae: «Di bene fecerunt inopis».... cett., haec subicit: «sane Horatii duo, Lucilii triginta saturarum sunt volumina» (pag. 292).

---

dem scripsi; sed quae vitiosa putavi, Emendaturis ignibus ipse dedi. Tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi, Iratus studio carminibusque meis».

1) Quod ad garrulitatem spectat, optima quidem sunt praecepta, quae statuit Horatius S. I, 10, 9 seqq.: «Est brevitate opus ut currat sententia neu se Impediat verbis lassas onerantibus aures» cett. Cfr. praeterea quae candida quadam simplicitate et verissime adscribit glossator Acr. in Horat. S. I, 4, 10, «non est magnum multos versus scribere, sed bonos, quamvis paucos».

2) Nescimus quo pacto Orellius ad Lucilii loquacitatem comprobandam, adferat locum apud Lactantium Inst. 5, 9 (15 seqq. ex inc. Ed. M.), qui potius imaginem scite admodum et ad vivum depictam hominum in foro versantium praebere nobis videtur. Nostrae sententiae iudex sit candidus lector:

«Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto,
Toto itidem pariterque die populusque patresque
Iactare indu foro se omnes, decedere nusquam,
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti:
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose;
Blanditia certare, bonum simulare virum se;
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes».

Id etiam Horatius Lucilio dat vitio, quod verba graeca miscuit cum latinis [1]). Cfr. S. I, 10, 20. De hoc horatiano iudicio nuper disseruit Bouterwekius in Philologo (XXXII, p. 691-697) [2]) et non absurde fortasse animadvertit, Horatium hanc latini graecique sermonis mistionem non velut magnum vitium Lucilio obicere, sed id tantum contendere, non magnam esse laudem, ut Lucilii fautores praedicabant. Quis vero Horatio non adsentiatur? Neque suspicio abest, quin Lucilius datâ operâ graecis vocabulis usus sit, ut aequales suos graecanice loquentes perstringeret; quod liquet saltem e fragm. 9 ex libris incertis (v. 26-32. Ed. M), ubi deridetur Titus Albucius, graece Athenis a Scaevola praetore salutatus. Alios locos, quibus suam sententiam confirmat, laudat Bouterwekius (fragm. V, 1; XXIX, 1; 4; 5 ex inc. Ed. C.) [3]). Praeterea locus apud Cicer. (De fin, I, 3, 7) docet, Lucilium solitum esse dicere, se Tarentinis, Consentinis et Siculis scribere. Itaque lectorum, quos sibi expetebat Lucilius, ratione habita, ei est ignoscendum, si saepius graeca vocabula usurpavit, cum gens illa graece loqueretur, aliaque ex parte satis constet, Lucilium sermonis popularis captatorem fuisse (cfr. Mueller. in Luc. suo [4]). Neque illud est prae-

1) Lucilius nonnumquam ulterius progressus vel totos vel magna ex parte graecos versus inseruit satiris suis, ut fragm. XIV. 7, et fragm. ex inc. 42.

Quam consuetudinem, quae id temporis vigebat, etiam Cicero notavit, cum hortaretur, ut scriptores sermone illo uterentur, qui natus esset Romae, ne ut quidam graeca verba inculcantes iure optimo riderentur (De Off. I, 31, 111.).

2) De graecis apud Lucilium scripsit etiam Lachmannus in: Kleinere Schriften zur classischen Philologie. Berlin. 1876.

3) Cfr. praeterea quae disputavit L. Muellerus in «Rheinisches Museum» XXIV p. 139, ubi agit de corrigendo et restituendo quodam versu luciliano apud Macr. VI, 4, 18.

4) Morem autem graeca vocabula latinis innectendi, quasi doctrinae et eruditionis documentum, illius aetatis poëtis fuisse communem, testatur Quintilianus XII. Inst. Or. Plura scripsit de hac re Bernhardy. Grundriss der röm. Lit. Cfr. praeterea quae de Ennio tradit Gell. XVII. 17.

termittendum, multa vocabula vel ad rem geographicam vel ad artes ac litteras pertinentia, cum crebriore usu et commercio vitaeque consuetudine ex Graecia Romam invecta et, ut ita dicamus, romanâ quasi civitate fuisse donata [1]). Nonne Lucretius ipse (De rerum natura, IV, 1160 seqq.) mirum nobis exemplum praebet harum peregrinarum vocum cinni? Nonne et Cicero saepe in suis operibus vocabula graeca usurpat et praecipue in epist. ad Atticum? [2]).

Singulos locos apud Lucilium, ubi graeca vocabula occurrunt, laudare nimis est longum; satis sit nonnulla exempli gratia in medium adferre. Cfr. cinaedi, parasiti, idiota, psilae, zonarius, atomi, schema, monogrammi, oenoforus, choragus (cfr. Gerlach. Luc. edit. in Prolegomenis pag. 129); quarum rerum ut notiones, ita nomina a Graecis tradita sunt Romanis. Sed alias graeca vocabula immutata retinuit: *δυνάστης ἀλόγοιο, χειροδύται, θωρακία, σοφός, πάνκιθος, ἀρχαῖς, στοιχείοις*, alia (cfr. Gerlach. op. cit. eadem in pagina).

Quod si quis nostrae sententiae, nempe Lucilium istis vocabulis graecis non inconsulte et temere, sed de industria usum fuisse, adsentiri neget [3]), certe in Muelleri iudicio acquie-

1) Quae fere eadem disputavit Εὐθ. Καστόρχης in «Ἀθήναιον» loco laudato. Eius verba sunt haec: οἵτινες (οἱ Ῥωμαῖοι) ἐν πλείστῃ κοινωνίᾳ πρὸς τοὺς Ἕλληνας ὄντες καὶ τὰ τῶν Ἑλλήνων συγγράμματα ἀνὰ χεῖρας ἔχοντες, καὶ παρ' Ἑλλήνων διδασκάλων διδασκόμενοι, ἀνεμίγνυον πολλάκις ἐν τῇ ὁμιλίᾳ πολλὰς ἑλληνικὰς λέξεις.» κτλ.

2) Ignoscendum quidem est Ciceroni, qui et ipse in epistolis ad Atticum potissimum, nonnumquam graecis vocabulis utitur; nam de epistolari seu familiari, quod dicitur, scribendi genere agitur, atque alia ex parte amicus, cui illae litterae mittebantur, graece erat institutus et in Graecia iam multos annos morabatur.

Ceterum et apud nostrates sunt qui «quo facetiores videantur et scire plus quam ceteri» (ut fere ait Lucilius fragm. 133 v. 168 ex inc.) gallicis vocabulis sermonem patrium haud raro contaminent.

3) Quod quidem et nos non confidenter et communiter adfirmamus, quia si proprie de nonnullis locis id contendi licet, non idem de omnibus posse adfirmari fatemur, cum nimis multa vocabula vel graeca vel e Graecis ducta in Lucilii satiris exstent.

scat oportet, qui scribit, Lucilium ea adhibuisse «partim ut ipse ostentaret peritiam graecorum scriptorum, nec minus versus explendi dira necessitate adductum» (op. cit. p. 294) [1]). Id autem omnes consensuros putamus, has voces graecas, quas Lucilius satiris suis intexuit, non eas fuisse, ut nativum sermonis latini colorem et «romanae festivitatis antiquam et vernaculam venerem» adimerent vel imminuerent. Quid enim? non tam magnis in deliciis eum habuissent antiquarii,

---

1) Lucilius autem non solum verba graeca usurpavit, sed etiam Graecorum syntaxim imitatus est. Cfr. *fastidire*, *abundare*, *abstinere*, *desinere*, *invidere* cum casu genitivo coniuncta, quae graecis παύεσθαι, πλεονάζειν κτλ., respondent (De hac re plura scripsit Gerlachius, in Prolegg. ad Luc. Sat. Reliq.) Neque id est omittendum, Lucilium, graecam linguam secutum, voci, quae est «*charti*», masculinam vim tribuisse (ὁ χάρτης); cfr. XXVII. 45 seq.: «Nescis, ubi Graeci, ubi nunc Socratici charti?» Sed Horatius, qui hunc lucilianum locum prae oculis habuit, femininum posuit. Cfr. Ep. II, 3, 310: «Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae».

Cum Romanorum satira vitae communis sermonem exprimeret, fieri non potuit, quin Horatius illam scribendi elegantiam aetatis augusteae, quae Graecorum exemplaria maxime imitari studebat (cfr. Petschar. op. laud.), in satirarum oratione sequeretur. Sed in verbis usurpandis formandisque varietate cum simplicitate dicendi usum esse, a Lucilio autem more Canusino bilingui (S. I, 10, 30) abfuisse, recte scribit Petschar. (l. l.); qui, exempla apud Horatium graecae linguae vel structurae redolentia indolem persequens, adfert, v. gr., accusativum singularem nominum graecorum plerumque in syllabas *an*, *a*, *in*, exeuntem; praeterea genus neutrum adiectivi cum genetivo, usum infinitivi cett. Voces e Graecis ductae, quibus, adiecta terminatione latina, usus est Horatius, sunt, ut ex. grat. laudentur, *raeda*, *pharmacopola* cett., quae iam sermone communi terebantur. Sed numquam eam sibi libertatem concessit, quam sibi arrogasse vidimus Lucilium, ut graecos versus vel graeca verba satiris suis insereret.

Immo in usurpandis verbis, quae graeco ex fonte derivata latinâ veste induit, Horatius saepe, ut horum genus, ita declinationem mutavit. Cfr. praeter vocabulum, quod est «*charta*» (gr. ὁ χάρτης sup. all., ubi generis mutatio occurrit) alia, ut *parasita* (gr. παράσιτος), *caballus* (gr. καβάλλης) *lagena* (gr. λάγηνος).

nec ipse Romanis tam diu fuisset probatus. Servum illud imitatorum pecus in Tito Albucio, qui graeculus quam romanus nominari malebat, exagitasse Lucilium vidimus superius. Hoc studium denique Graecos perverse imitandi (quod ab Horatio verbo, quod est *graecari*, significatur), ab iis excultum, qui dum asperitatem fugere volebant, dissolutos vel delicatulos aliorum mores sequebantur, facete admodum irridet Lucilius etiam fragm. ex inc. v. 33 seqq.

Alia quoque vitia Horatius *oblique* tantum carpit in Lucilio, ut nimium eius studium et cupiditatem risus legentium excitandi, cum non sit satis «*risu diducere rictum Auditoris*»; nam sic et «*Liberi mimi*» ut pulcra poëmata essent mirandi (cfr. S. I, 10, 6 seqq.). Quod non iniuriâ quidem vituperat in Lucilio Horatius; in eius enim satiris, ut scribit Muellerus (p. 293), non desunt facetiae, quae ad summae caveae spectatores potius quam ad eos, qui in quatuordecim sederent ordinibus, videantur pertinere. Praeterea Lucilium incusat, quod minus rhetorum artificiorum studiosus fuerit [1]), neque apte sermonem tristem cum iocoso, acrem cum ridiculo temperaverit; quod caruerit varietate in narrationibus; quod nimis fuerit copiosus in sententiis: quae omnia non diserte, sed oblique ait Horatius, cum scribit: «Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso, Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae..... Ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque secat res». (S. I, 10, 11 seqq.) [2]).

Sed Horatius ut de vitiis Lucilii locutus est, ita nequaquam de iis tacuit, quae in eius satiris sibi laudanda videbantur. Quae Horatius in laudem Lucilii dixit, iam superius exposuimus, et tam vera et aperta sunt, ut uberioris expli-

---

1) Huius criminationis documentum adfert Muellerus libri V. fragm. 6.

2) Cfr. praeterea Van Heusde (Studia critica cett. inde a pag. 105 usque ad pag. 107).

In his extremis sententiis horatianis nobis plane atque omnino acquiescendum est, cum ex nimis abruptis paucisque Lucilii satirarum fragmentis quatenus eae rectae sint, iudicare nequeamus.

cationis atque interpretationis non indigeant; praecipue eius vim ingenii, sales et liberrimam vitiorum cavillationem admiratum esse Horatium patet; qua in re non supervacaneum videtur docere, quanta auctoritate Lucilius et apud alios Romanorum scriptores viguerit.

Et in primis gravissimum est iudicium, quod in Lucilii laudem profert Quintilianus, qui postquam de satira latina locutus est, in eaque *insignem laudem* adeptum esse Lucilium docuit, haec subiungit: «(Lucilius) quosdam ita sibi deditos adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum et esse aliquid quod tollere possis putat [1]). Nam eruditio in eo mira et libertas atque

---

1) Haec verba Horatii (S. I, 4, 11) minus recte interpretatum esse Quintilianum, iure quidem meritoque adfirmat Muellerus (Luc. ed. p. 292): «quasi dixerit Horatius totum esse Lucilium aliquid quod tollere possis». Ad verba Muelleri uberius explicanda, haec nobis subiungenda videntur: Horatius id sibi quidem non vult, *Lucilium esse aliquid*, quod tollere possis, sed *in Lucilio esse aliquid*, quod tollere possis. Res est, ut plane liquet, admodum diversa. Magna fuit inter viros doctos contentio, quemadmodum esset illud «*tollere*» intellegendum, utrum vim «*delendi*, *recidendi*» an «*adsumendi*, *servandi*» haberet. De hac re egerunt, praeter alios, Heindorflus (in edit. Horat. Sat. Breslau. 1815), qui illud verbum interpretatur «*aufbewahren*», Wolflus (Horat. Analecten S. I, 4, 11), qui explicat: «*wegräumen*» et fusius Iacobus in Philologo (VI, p. 170), qui novam interpretationem adfert: «obschon er trübe floss, so entschöpfte man doch gern von seinem heilsamen Wasser». Hanc quaestionem fuse nobis esse pertractandam non putamus. Pauca tantum hîc in notationibus monebimus; atque id statim nos recte posse contendere nobis videmur, maiorem veri similitudinem Wolfli sententiae, praeterquam ex verbis, quae cum hisce (S. I, 4, 11) in satira decima eiusdem libri congruunt (i. e. v. 50-51), ex iis quoque luculenter probari, quae leguntur in eadem satira decima v. 69-70 «*Detereret sibi multa, recideret omne quod* ultra Perfectum traheretur». Quod argumentum gravissimum eos omnes, qui, illis horatianis versibus excussis, de hac re egerunt, fugisse miramur. Ita etiam Quintilianum vocem *tollendi* in-

inde acerbitas et abunde salis». (Inst. Or. X, 1, 93-94). Hinc cum trepidatione quadam fateri videtur, se Lucilio Horatium praeferre. Nam pergit: «Multum eo (i. e. Lucilio) est tersior ac purus magis Horatius et, *nisi labor eius amore*, praecipuus». Quae ergo in Lucilii satiris commendanda videbantur Quintiliano, eadem et Horatium collaudasse, nuper vidimus, neque iis vitiis, quae in eo carpserat poëta Venusinus, repugnant. Horatii igitur iudicium non prorsus abhorret (ut nonnulli viri docti contendunt) a Quintiliano, qui et ipse asperitatem et incuriam in Lucilio oblique notare videtur, cum Horatium *multo tersiorem* esse fateatur.

Lucilii eruditionem laudat Quintilianus etiam I, 6, 8, ubi eum *eruditissimum* appellat. Cicero autem tametsi *doctrinam mediocrem* tribuit Lucilio (de Fin. I, 3, 7), tamen admiratur eius sales ut salsiores quam Atticorum (ad Fam. IX. 15), eum vocat *perurbanum* (De Orat. II, 6,

---

terpretatum esse, ex verbis, quibus utitur, fit manifestum. Ea enim verba Quintiliani menti et consilio prorsus repugnarent omnique significatione carerent, si voci, quae est *tollere*, laudandi potiusquam vituperandi vis tribueretur. Neque hoc pacto apodosis protasi includitur (quod nonnulli viri docti obiciunt), dummodo haec sit interpretatio: ea utique de causa, quod tanta festinatione et neglegentia scripsit, Lucilius, quasi torrens lutulentus, multa fert secum, quae libenter resecares et abiceres. Tali modo protasis non quidem complectitur apodosim, sed ut illa causas et rei condicionem indicat, haec effectus, ut ita dicamus, et ampliorem rei explicationem continet. (Plane ridicula est interpretatio, quam, interpunctione variata, proponit Döderlein.: «Cum flueret, lutulentus erat, quod tollere velles Garrulus»; ad quam interpunctionem defendendam haec nimis coacta et admodum contorta subicit: «quamvis flueret et prompta esset Lucilii oratio..... idem tamen lutulentus erat multumque, quod abesse sine ullo rei detrimento posset, garriens.» Quî enim, ut de ceteris argumentis taceamus, haec verba cum verbis S. I, 10,50, quae iis aperte respondent, «*at dixi hunc fluere lutulentum*» convenire queunt?). Praeterea attente omnique praeiudicata opinione libero animo considerentur verba iam laudata satirae decimae: «at dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem Plura qui-

25) [1]) eiusque libertas in vitiis flagellandis laudatur a Trebon. apud Cic. ad Fam. XII, 16, 3. Quam liberrimam vitiorum

---

dem tollenda relinquendis». Liquet, Horatium omnia haec verba iterum proferre, ut quae alibi (S. I, 4, 11) in Lucilii vituperationem dixerat, retractans confirmet et amplius demonstret. Haec igitur verba, quibus Lucilius reprehenditur, coniuncte non separatim sumenda sunt. Quomodo, quaeso, eodem in versu, in eodem verborum sententiarumque ordine et coniunctione poterat Horatius vituperare et laudare Lucilium? (Lucilius enim laudatur, si verbo, quod est *tollere*, vis *servandi* tribuitur). Nonne vox quae est *ferentem* quasi ἐπεξήγησις habenda est, utpote quae satius explicet sententiam priore hemistichio comprehensam? Eoque magis ita nobis esse interpretandum credimus, quod secunda pars orationis priori per ἀσύνδετον adhaeret. Hinc efficitur, ut, cum nulla sit particula adversativa, quae aliquid novi vel contrarii in orationem inducat, luce clarius adpareat, alterum hemistichium quasi *appositionem* seu uberiorem explicationem prioris esse: quod cum in vituperationem Lucilii sit, sequitur ut et alterum in hanc sententiam sit accipiendum. Accedit, quod significatio «tollendi» tamquam «*sumendi, servandi*» exemplis dumtaxat translate sumptis defendi potest; et contra, si huic vocabulo vim *delendi*, *abiciendi* tribuimus, propriam significationem habet, ut in quolibet linguae latinae lexico videre est. Kruegerus in Horatio suo ad h. v. aptissimum profert exemplum, ubi verba, quae sunt *tollere* et *relinquere*, non secus atque apud Horatium per ἀντίθεσιν collocata adparent: «Karthago *tollenda* an *relinquenda* videatur». (Rhet. ad Herenn. III, 2).

Quod denique ad illud: «*cum flueret lutulentus*» spectat, recte scribit Vulpius (op. laud. p. 107; cui adsentitur Jacobus, Philol. VI l. l.), Horatio ante oculos quandam fabellam apud Callimachum obversatam esse, qui sub nomine Invidiae Apollonium Rhodium inducit Phoebi auribus insusurrantem, se despicere τοὺς οὐ δυναμένους ποιῆσαι μέγα ποίημα. Sed Invidiae respondit Phoebus:

«Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λίματα γῆς καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει».

«Cereri autem (ut Vulpii reliquum hunc locum latine interpretantis verbis utamur) non ex omni fluvio libant Melissae, at ex eo tantum latice, qui e fonte sacro scaturiens parvus quidem serpit, sed purus et nulla sorde infectus: quem propterea eximium aquarum florem vocare quis possit».

1) Hoc loco Lucilius appellatur quoque *doctus*. Neque inter se pugnantia tradit Cicero, cum loco superius laudato ei «*doctrinam mediocrem*»

*

reprehensionem, Lucilii laudem praecipuam, efferunt Persius, Iuvenalis, Martialis.

Pers. S. I. 114; seqq..... «Secuit Lucilius urbem,
Te, Lupe, te, Muci, et genuinum fregit in illis».

Iuv. S. I, 19 seqq.:
«Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus».

Ibid. v. 165 seqq. «Ense velut stricto quotiens Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacitâ sudant praecordia culpâ».

Mart. XII, 96,7: «Audemus saturas: Lucilius esse laboras».

Cfr. praeterea Macrob. Saturn. III. 16: «Lucilius acer et violentus poëta». Plinius Nat. Hist. Praef.: «Lucilius, qui primus condidit stili nasum». Hieronym. Epp. 47: «Ubi illa quondam constantia, in qua multo sale orbem defricans, Lucilianum quippiam rettulisti». [1])

Praetermissis multis aliis veterum testimoniis, quae congesserunt Van Heusde (Studia critica cett. p. 120-134) et Gerlach. (Luc. edit. p. 106-124), satis elucet, etsi sermo quidem et versus luciliani, quod praecipue ad formam pertinet, nonnullis vitiis laborabant, tamen poëtam, qui primus hoc genus coluit ingeniumque ad satiram aptissimum ostendit, nequaquam fuisse indignum, qui honore laudibusque afficeretur.

---

tribuat. Nam recte iubet nos animadvertere Van Heusde (op. cit. p. 80) «*doctum* non a Cicerone vocari sed ab aequali Crasso hanc laudem ei apud Ciceronem concedi». Inter Crassi et Ciceronis sententiam non distinxerat Baylius (Dictionnaire historique et critique. Amst. p. 201).

Quomodo Ciceronis et Quintiliani iudicia componantur, videsis in Van Heusde (op. laud. p. 81 seqq.), qui recte distinguit inter *scientiam* et τὴν πολυμαθίαν.

Eruditio Lucilii maxime ex praeceptis ad linguam spectantibus agnosci potest. Gellius N. A. XVIII. 5 scribit eum fuisse «virum apprime linguae latinae scientem».

1) Haec iudicia iam alibi partim attulimus, sed hîc denuo transcribenda censuimus, ut uno obtutu res comprehendatur.

Quod si nunc omnia, quae tota commentatione disputavimus, animo complecti et brevi praecidere volumus, oportet fateamur, Horatium recte quidem sensisse, cum satiram totam Romanis vindicarit eiusque inventorem dixerit Lucilium, sed in Lucilii meritis iudicandis, quamvis maximam partem iustas sententias protulerit, iniuriam non admodum vitasse [1]). Etenim si quaeratur, cur Horatius non modo Lucilium, sed omnes veteres Romanorum poëtas in universum vituperet vel parvi ducat, haec statuenda esse videntur. Primum, quia obsoleta et minus expolita vocabula in eorum poëmatis reperiuntur. Sed quam parum gravis haec est reprehensio! idque eo magis, quod Horatius ipse summa sapientia scripserat:

« Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque».

Ep. II, 3, 60 seqq.

Sermo enim eius aetatis est, qua poëtae sunt, non poëtarum ipsorum, qui iis vocabulis utuntur, quae ex sui aevi sermone petita intellegant aequales. Idque *a fortiori*, ut dicitur, statuendum est de Lucilio, quem, satirarum scriptorem, vocabula *sermoni propiora* (sicut docet Horatius ipse S. I, 4, 42) usurpare oportebat. Idem fere est iudicandum de altera re, quae ad versuum Lucilii veterumque poëtarum condicionem pertinet. Nam inconditi illi, duri et saepius inanes versus partim a Romanorum veterum rudiore natura, cui asperitas illa summopere consentanea fuisse videtur [2]), partim a lin-

1) Si iudicandi et comparandi rationem, qua de veteribus poëtis iudicia ferens, usus est Horatius, nobis ob oculos ponimus, statim causa fit manifesta, cur Horatius iusto acerbius de iis senserit. Ille enim priscorum poëtarum carmina ea arte dimensus est, quae sua ipsius aetate vigebat.

2) Cfr. Macrob. Saturn. VI. 3. 9. Ed. Eyssenhardt. Lips. 1868, qui de Ennii aetate loquitur: « Nemo ex hoc viles putet veteres poëtas, quod versus eorum scabri nobis videntur; ille enim stilus enniani saeculi auribus

gua minus polita et nondum adulta illius aetatis manarunt [1]).

Sed etiamsi Lucilius ac veteres poëtae non ad amussim exacti exstiterunt, non omnia elaborata et absoluta protulerunt: etiamsi eorum scriptis immanitas et feritas aetatis, qua floruerunt, adhaeret, nonne apud ipsos indicia praeclarissima maximi ingenii, nativae festivitatis et vernaculae veneris deprehenduntur? [2]). Nonne unicuique sua laus est tribuenda, quod vel novis carminum generibus romanum Parnasum ditarunt, vel ea perfectiora reddiderunt, vel denique res domesticas tractare et Graecorum vestigia deserere ausi sunt? [3]).

---

solus placebat et diu laboravit aetas secuta, ut magis huic molliori filo adquiesceretur».

1) Itaque recte de antiquis Romanorum poëtis iudicari opinamur, si ad eos Quintiliani verba in universum referantur, qui Accii et Pacuvii scribendi asperitatem ita excusat: «Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest *temporibus quam ipsis* defuisse». (Inst. Or. X, 1, 97).

2) Ita exempli causâ laudari possunt apud Ennium v. 78 seqq. (Ed. Vahlen); apud Pacuvium v. 411 seqq. (Trag. Rom. fragm. Ed. Ribbeck); apud Accium v. 391 seqq. (ed. Ribbeck). Nonnullos apud Lucilium locos et eos pulcherrimos iam passim apposuimus.

Eiusmodi exempla plura quidem superessent, si grammatici in egregiis veterum poëtarum locis memoriae prodendis eâdem diligentiâ usi fuissent, quam adhibuerunt ad obsoleta vel insolita eorum vocabula servanda. Quod proprie ad Lucilium pertinet, eius comitas et urbanitas (quam laudat Horatiûs S. I, 10, 65) in ore omnium erat. De Lucilii urbanitate optime scripsit L. Muellerus (Leben und Werke cett. p. 24). Cfr. praeterea Van Heusde (Studia critica cett. p. 91). Hac urbanitate Lucilium in proverbium quasi abisse censendum est, cum commentator vetus (ad Horat. S. I, 3, 40. Cfr. etiam Hier. l. l.) testetur «Horatium *luciliana urbanitate* usum esse». Hac voce *vernaculam festivitatem* significari credimus. In poëtis comicis Terentium ad hanc lucilianam urbanitatem proxime accessisse opinamur.

3) Cfr. Barkholt. op. laud. p. 25. De saeculi sexti et septimi scriptoribus Romanorum in universum vere et acute iudicat Mommsen. Römische Geschichte. II Bd. p. 436 seqq.

His igitur de causis Horatius, quamvis Lucilium debitis etiam laudibus sit prosecutus, tamen impietatis criminationem effugere non potuit, quippe qui antiquitatis cultum, qui a natura fere ipsa hominum animis insitus est, plus aequo neglexerit [1]).

Ceterum ad Horatium excusandum haec fere sunt animadvertenda. Ut superius docuimus, de poësi eiusque rationibus duae quasi scholae Augusti temporibus exstiterunt; cui certamini quemadmodum Horatius interfuerit, passim demonstravimus. Et adversarios ipsos iniuriâ non abstinuisse vidimus, utpote qui partim sola veterum Romanorum poëtarum carmina tamquam artis poëticae exemplaria proponerent, eorum vitia aut ignorantes aut consulto occultantes, partim Horatii eiusque amicorum poëmata fastidirent et parvi facerent. Praeterea non primum Horatium contra adversarios arma cepisse, sed hos primos habendos esse, qui eum lacessiverint, ex Horatii verbis liquet et probe demonstravit Campe [2]). Non mirum igitur, si Horatius, qui suae virtutis et iustae causae, quam defendendam susceperat, sibi conscius admodum erat, id aegre ferebat et pugnae ardore abreptus in ipsum Lucilium ceterosque veteres Romanorum poëtas, qui soli ab antiquariis summo honore afficiebantur, maximam illius irae partem contulit, quâ contra adversarios flagrabat.

Sed iam nostrae disputationi finem faciendum putamus [3]). Quae autem hactenus pro virili parte disceptare co-

---

1) Summa contra veneratione loquitur de antiquis scriptoribus Quintilianus, qui de Ennio ita iudicat: «Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem quantam religionem». Inst. Or. X, 1, 88.

2) Iahrbücher für Philologie. Litterarische Tendenzen und Zustände cett. Vol. 103. l. l.

3) In exitu huius disputationis admonemus, nobis in animo fuisse, etiam quaestionem de octo versibus («Lucili, quam sis mendosus» cett.), quos quasi prooemium satirae decimae libri primi nonnulli codices horatiani exhibent, tractare. De his versibus (quos Van Heusde. Studia Critica cett. p.

nati sumus, ea, «sint qualiacumque», benevolo lectori arridere velimus, eumque ne nostri libelli iudex severior exsistat, precamur.

---

122, «etiamsi horatiani non essent habendi» minime neglegendos putat, quippe qui «hominum studia exprimant», ita scribit Urlichs. (Rhein. Mus. XI p. 602): «Ueber dieses Proömium ist so viel geschrieben worden, dass man Bedenken tragen muss eine Frage, die fast auf das subiective Gefühl dessen was des Dichters we.th oder unwerth sei, hinauslauft, noch einmal zu berühren». Hanc igitur ob causam hac quaestione, ne etiam ab eo, quod propositum erat, longius aberraret oratio, nobis supersedendum esse censuimus. De ea fusius et accuratius egit separatim Godofredus Stallbaumius in Programmate, Lipsiae anno 1857 in lucem edito, quod inscribitur: «Brevis recognitio iudiciorum de Horat. S. I, 10 exordio». Iam ante de eadem re disputaverat, praeter alios, etiam Beckerus in Philologo «Ueber das Prooemium zu Horatius zehnter Satire des ersten Buches». Vol. IV. p. 490 seqq.

Nos autem partes eorum, qui hos versus ab Horatio abiudicandos esse contendunt, sequi profitemur.

---

# ADDENDA.

Pag. 9. l. 3 post «Kleinschmit cett.» addantur: **Giussani.** Quaestiones Lucilianae. Milano, 1885.

Pag. 26. l. 28 ante «Metrik» addantur: Der Saturnische Vers unde seine Denkmäler. Leipz. 1885;

*Corrigenda.* P. 7. L. 3 et 21.17 pro «agunt» leg. = «sunt» — 12. 24 sq. «huc fortasse..... scilicet» = «huc forte... refers et ita interpretaris :» — 14. 4 «cetera enim» = «cum cetera» — 18. 11 «necesse esse.... Lydi» = «necesse est fateamur, ut Lydi» — 20. 16 «amplius» = «iam» — 33. 3 «in . . . disput.» = «procedente disput.» — 48 32 «NB» = «Nam» — 98. 18 «sint» = «essent» — «*Et revera, ipse, nempe, ideo, poeta, poterat, citare, nec non, hinc, tum .... tum, quomodo, forsitan*» cett. praeterea «*fuerunt, fuisse*» cett. cum partic. temp. perf. coniuncta, non semel pro «*nam, is, id est, propterea, is, potuit, adferre, et, quare, et... et, qui, fortasse, sunt, esse*» cett. — «*etsi, quamvis*» non semper recte usurpata.

*Omitt.* «tunc» 12. 28 et 18. 9. — «adhuc» 14. 30 et 28. 31. — «illorum» 30. 30. — «Adn. 1)» 57. 30 sq. — «esse» 95. 23. — «Nescimus... habuit» 105. 22 sqq.

*Add.* «enim» ante «non» 16. 4 — «ut» ante «vocabula» 72. 19.

Lh 9.576
Judicia quae de satirae Latinae ori
Widener Library 006678421
3 2044 085 204 451